



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### **Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### **About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

THE  
Burton Historical Collection.

Presented to the Library of the University of  
Michigan by Clarence M. Burton, of Detroit.

Date

1916

No.

DA  
25  
B5  
no. 84  
v. 1

---


*Rev Ponsonby A Lyons*

Transmitted by direction of the

Master of the Rolls.

Public Record Office,  
Rolls House, London,

*21 March* 1887





RERUM BRITANNICARUM MEDII ÆVI  
SCRIPTORES,


OR

CHRONICLES AND MEMORIALS OF GREAT BRITAIN  
AND IRELAND

DURING

THE MIDDLE AGES.

84<sup>L</sup>  
R



**THE CHRONICLES AND MEMORIALS**  
**OF**  
**GREAT BRITAIN AND IRELAND**  
**DURING THE MIDDLE AGES.**

PUBLISHED BY THE AUTHORITY OF HER MAJESTY'S TREASURY, UNDER  
THE DIRECTION OF THE MASTER OF THE ROLLS

---

ON the 26th of January 1857, the Master of the Rolls submitted to the Treasury a proposal for the publication of materials for the History of this Country from the Invasion of the Romans to the reign of Henry VIII.

The Master of the Rolls suggested that these materials should be selected for publication under competent editors without reference to periodical or chronological arrangement, without mutilation or abridgment, preference being given, in the first instance, to such materials as were most scarce and valuable.

He proposed that each chronicle or historical document to be edited should be treated in the same way as if the editor were engaged on an *Editio Princeps*; and for this purpose the most correct text should be formed from an accurate collation of the best MSS.

To render the work more generally useful, the Master of the Rolls suggested that the editor should give an account of the MSS. employed by him, of their age and their peculiarities; that he should add to the work a brief account of the life and times of the author, and any remarks necessary to explain the chronology; but no other note or comment was to be allowed, except what might be necessary to establish the correctness of the text.

The works to be published in octavo, separately, as they were finished; the whole responsibility of the task resting upon the editors, who were to be chosen by the Master of the Rolls with the sanction of the Treasury.

The Lords of Her Majesty's Treasury, after a careful consideration of the subject, expressed their opinion in a Treasury Minute, dated February 9, 1857, that the plan recommended by the Master of the Rolls "was well calculated for the accomplishment of this important national object, in an effectual and satisfactory manner, within a reasonable time, and provided proper attention be paid to economy, in making the detailed arrangements, without unnecessary expense."

They expressed their approbation of the proposal that each Chronicle and historical document should be edited in such a manner as to represent with all possible correctness the text of each writer, derived from a collation of the best MSS., and that no notes should be added, except such as were illustrative of the various readings. They suggested, however, that the preface to each work should contain, in addition to the particulars proposed by the Master of the Rolls, a biographical account of the author, so far as authentic materials existed for that purpose, and an estimate of his historical credibility and value.

*Rolls House,  
December 1857.*

ROGERI DE WENDOVER LIBER QUI DICITUR FLORES  
HISTORiarUM AB ANNO DOMINI MCLIV. ANNOQUE HENRICI  
ANGLORUM REGIS SECUNDI PRIMO.

5-4013  
THE FLOWERS OF HISTORY

BY

ROGER DE WENDOVER:

FROM THE YEAR OF OUR LORD 1154, AND THE FIRST YEAR  
OF HENRY THE SECOND, KING OF THE ENGLISH.

EDITED FROM THE ORIGINAL MANUSCRIPTS

BY

HENRY G. HEWLETT,

KEEPER OF THE RECORDS OF THE LAND REVENUE.



VOLUME I.

PUBLISHED BY THE AUTHORITY OF THE LORDS COMMISSIONERS OF HER MAJESTY'S  
TREASURY, UNDER THE DIRECTION OF THE MASTER OF THE ROLLS.

LONDON:

LONGMAN & CO., PATERNOSTER ROW; TRÜBNER & CO., LUDGATE HILL:

ALSO BY

PARKER & CO., OXFORD; AND MACMILLAN & CO., CAMBRIDGE;

A. & C. BLACK, AND DOUGLAS AND FOULIS, EDINBURGH;


AND A. THOM & CO., LIMITED, DUBLIN.

1886.

Printed by  
**EYRE and SPOTTISWOODS, Her Majesty's Printers**  
For Her Majesty's Stationery Office.

## CONTENTS.

	Page
PREFACE - - - - -	i-x
ERRATA - - - - -	xi
FLORES HISTORIARUM - - - - -	1-320






---

**P R E F A C E .**

---



## P R E F A C E.

IN the preface to volume iii. of his exhaustive Catalogue of the manuscript materials relating to our mediæval history, Sir Thomas Duffus Hardy has dealt consecutively with the succession of chronicles proceeding from the *Scriptorium* of St. Alban's Monastery, and assigned the important place which belongs to the "*Flores Historiarum*" of Roger de Wendover. It may be inferred from the evidence therein adduced<sup>1</sup> that, in or about the year 1231, Wendover succeeded a monk named Walter in the office of monastic historiographer, and resumed the historical narrative which his predecessors had compiled from various early sources, at the point where it had been left incomplete, viz., at the death of king Stephen in 1154. From that period Wendover continued and enlarged it by fresh materials drawn from more recent writers and from personal observation, until within a year before his death in 1236. "From the accession of Henry II. down to 1235, " when the '*Flores Historiarum*' ends, Wendover may " be said to assume the character of an original author."<sup>2</sup> In conformity with my instructions, the present edition is confined to that portion of Wendover's chronicle which comprises the materials thus collected by himself.

---

<sup>1</sup> Descriptive Catalogue of Materials relating to the History of Great Britain and Ireland, by Sir Thomas Duffus Hardy, &c., &c., vol. iii., preface, p. xxxvi.

<sup>2</sup> *Ibid.*, p. xlii.

Two codices of the "*Flores*" are now known to be extant; one a MS. of the thirteenth century, No. CCVII., among the Douce collection in the Bodleian Library; the other a MS. of the fourteenth century, Otho B.V., among the Cotton collection in the British Museum. The former, which is the more perfect of the two, has been taken as the basis of the present text, and is referred to throughout the foot-notes as D. The latter having been seriously injured in the fire at Ashburnham House in 1731, was carefully repaired some years since under the direction of the late Sir F. Madden, and a considerable portion of its later chapters rendered legible. The present text has been collated with so much of this codex as has thus been recovered, and its various readings are distinguished in the foot-notes by the affix C. Except in a few passages which indicate the revision of a subsequent hand, the Cotton codex is far inferior in value to the Bodleian, owing to the carelessness of its scribe, who has repeatedly omitted words, lines, and even sentences of the original MS. It further differs from the Douce codex by discarding the use of frequent sectional headings and substituting an occasional division into chapters.

The scholarly and laborious edition of the "*Flores Historiarum*" prepared by the late Rev. H. O. Coxe (Librarian of the Bodleian) for the English Historical Society in 1842 was founded almost entirely upon the Douce codex. Its editor, in default of access to the Cotton MS., which had not at that time been restored, was obliged to adopt the various readings, purporting to be the result of a careful collation with it, introduced by Dr. Wats into his edition of Matthew Paris, published in 1684. Although the codex was then in an uninjured state, the collation thus authenticated proves when tested by the existing remains of the MS. to have been singularly inaccurate. In repeated instances the various readings ascribed by Wats to the Cotton codex

have no existence there ; and it seems probable that the editor may have confounded the MS. in question with another which he consulted at the same time. In other instances where there can be little doubt that he is referring to the Cotton codex, he misquotes it ; owing perhaps (as Mr. Coxe has suggested in the case of one obviously corrupt passage) to want of familiarity with the abbreviations employed by mediæval scribes. However their inaccuracy may be explained, it is certain that the citations of this codex made by Wats and adopted by Mr. Coxe can seldom be relied upon as trustworthy.

A *lacuna* of two leaves in the Douce codex which occurs in the chronicle of the years 1191, 1192, has been supplied in the present volume by a collation of Matthew Paris (who here substantially follows the narrative of Wendover), in Mr. Luard's edition, with the text of C.

The conditions imposed by the English Historical Society upon its editors being probably less stringent than those prescribed to the editors of the present series, Mr. Coxe exercised considerable latitude in dealing with the text of Wendover, amending his frequently defective Latinity with a boldness which I have not felt at liberty to imitate. No mere emendations of style have been suggested in this edition, and such alterations only have been introduced into the text as were imperatively called for by its obvious corruptness. In accordance with the regulations laid down by Lord Romilly, the verbal orthography has been generally conformed to the classical mode, and any mediæval peculiarities of spelling, *e.g.*, the substitution of *y* for *i* in such words as *diabolus*, *idolum*, *imago*, &c. ; the addition of an aspirate to the words *abundare*, *ostium*, &c., its omission from the words *hortum*, *hordeum*, &c., and the duplication of *p* in *reperire*, &c., have been disregarded. I have ventured, however, to preserve as permissible deviations from classical usage a

few of the author's idiosyncracies, such as his almost habitual choice of the feminine in employing the epicene word *dies*, and of the diphthong *œ* in *cœlum*, *cœmeterium*, &c.

The introduction, which will include a compilation of such scanty biographical notices of Wendover as now remain, and an estimate of his value as an historian, is postponed until the completion of the work.

H. G. H.

London, October, 1886.

---

## ERRATA.

---

Page

115, note 1, "Aliquotens" read "Aliquotiens."


241, note 1, "Relaxebit" read "Relaxabit."

250, line 26, "De" read "De-."

278, line 27, "Præli" read "Prælii."

285, note 1, *dele* comma after "Regis."

---






ROGERI DE WENDOVER LIBER QUI  
DICITUR FLORES HISTORiarUM:

AB ANNO DOMINI MCLIV. ANNOQUE

HENRICI ANGLORUM  
REGIS SECUNDI PRIMO.



ROGERI DE WENDOVER LIBER QUI  
DICTUR FLORES HISTORIARUM :

AB ANNO DOMINI MCLIV. ANNOQUE

HENRICI ANGLORUM  
REGIS SECUNDI PRIMO.

---

*De morte regis Stephani et coronatione regis Henrici*

Eodem anno rex Anglorum Stephanus, miles egregius A.D. 1154. et mente piissimus, octavo kalendas Novembris diem clausit extremum ; cujus corpus in monasterio de Faveresham, quod ipse a fundamentis construxerat, traditur sepulturæ, ubi paulo ante Matildis uxor ejus et Eustachius eorum filius sunt sepulti.

Dux vero Normannorum Henricus, audito de morte regis veridico nuntio, venit Barbefluviu[m] et ibi per mensem unum ad transfretandum ventum congruum exspectavit. Erat interim in Anglia pax summa, quod raro contingit regibus defunctis, ob amorem et timorem ducis Henrici, quem omnes venturum et regem futurum sperabant. Dux igitur Henricus, octavo idus Decembris in Angliam veniens, cum magno cleri et populi tripudio exceptus est ; et decimo quarto kalendas Januarii, die Dominica ante nativitatem Domini, apud Westmonasterium ab omnibus rex acclamatus a Theobaldo, Cantuariensi archiepiscopo, in regem est consecratus, præsentibus archiepiscopis, episcopis et baronibus regni Anglorum et ducatus Normannorum. Qui continuo in regem promotus cepit in jus proprium

A.D. 1154. revocare urbes, castella et villas, quæ ad coronam spectabant; castra adulterina destruendo, alienigenas, et maxime Flandrenses, de regno expellendo, et quosdam pseudo-comites, quibus rex Stephanus pæne omnia ad fiscum pertinentia minus caute contulerat, deponendo.

Eodem anno rex Hierosolymarum Baldewinus, copioso nimis exercitu congregato, Ascalonam obsidione vallavit, et diuturna urbem afflictione opprimens tali eam conditione obtinuit, ut Turci, qui in ipsa erant, cum uxoribus, liberis et suis omnibus liberum inde haberent recessum; civitate igitur regi resignata, concessit eam fratri suo Joppensi comiti de se tenendam.

*De vita sancti Wlfrici heremite.*

Eodem anno sanctus anachorita et solitarius Wlfricus de Heselberga migravit ad Dominum, postquam viginti et novem annis contra hostes humani generis configens felici Marte victoriam reportavit; de cujus vita et virtutibus, ad historiæ decorem, vel parvam utile duximus facere mentionem.

Beatus vir Wlfricus, ex mediocri Anglorum gente oriundus, in Contona, villa a Bristollo octo milliaribus distante, natus, nutritus est et conversatus; ibi etiam per annos aliquot sacerdotis officium exercuit, quod in ætate juvenili levitate potius mentis quam rationis desiderio creditur accepisse, quippe nondum cognoscebat Dominum, unde carne magis quam spiritu ducebatur; nam canum simul et avium curis sollicitus incumbens, dum die quodam in hujus generis exercitio non segniter instaret, adfuit vir subito vultum pauperis gerens et habitum, qui nummum novum ab eo supplex in eleemosynam postulavit; habebat autem tunc temporis Anglia novam monetam in diebus Henrici regis primi, sed adhuc raram, præ numismatis novitate. Cui cum Wlfricus se nescire diceret, si

novum nummum haberet, "Respice," ait, "loculum A.D. 1154.  
" tuum, et invenes in eo duos nummos et semis;" quo  
ille responso obstupescens inspexit, et, ita ut dictum  
sibi fuerat reperiens, quod petebatur devotus donavit;  
homo autem ille, cum denarium accepisset, ait, "Re-  
" tribuat tibi is, pro cuius amore hoc fecisti; et ego  
" tibi in nomine ejus denuntio, quia ex hoc loco in  
" brevi ad alium migraturus es, et inde ad alium  
" transiens requiem tandem invenes, ibi usque in  
" finem in Dei servitio perseverans, et novissime eris  
" ad sanctorum collegium evocandus."

*De conversione sancti Wlfrici heremita et vita  
asperitate.*

Deinde post paululum in opus sacerdotale Willelmo,  
domino villæ in qua natus<sup>1</sup> fuerat, adhærens panem  
quotidie in mensa ejus comedit, ubi et in fortitudine  
multa lumbos suos accingens usui penitus carni-  
um abdicavit. At vir Dei toto jam desiderio solitudinem  
suspirans a domino suo, milite supradicto, ad aliam  
directus est villam, nomine Haselbergam, quæ ab  
Exonia versus orientem triginta miliaribus distare  
videtur, Spiritu Sancto, ut creditur, hoc dictante, ubi,  
in cellula ecclesiæ contigua Christo se consepeliens,  
multo labore multaque carnis ac spiritus afflictione  
Christi sibi gratiam comparavit; nam tanto jejunio  
et abstinencia, tantaque vigiliarum instantia, membra  
sua mortificabat super terram, ut pellis in brevi ossi-  
bus adhærens, non jam carnalem virum, sed spiritua-  
lem in humano corpore, intuentibus exhiberet. Vestitu  
simplici cilicio intus inhærente contentus erat, quod  
cum ex consuetudine infra dies paucos induraverat,  
usum lorice incipit affectare; quod dominus ejus,

<sup>1</sup> Est inserted in C.

A.D. 1154. miles præfatus, cum cognovisset, lorica[m] unam contulit viro Dei, et vas bellicum cœlesti militiæ consecravit. Noctibus in vas quoddam cum frigore et nuditate aqua plenum frigida descendere solebat, in quo psalmos Davidicos Domino offerebat, et sic aliquamdiu perseverans carnis incentiva, cujus acerrimos patiebatur stimulos, mortificabat in aquis. Humilis erat cunctis in eloquio et jucundus, cujus sermones cœlestem quandam harmoniam audientibus redolebant, licet hominibus semper clausa fenestra loqueretur.

*Miraculum memorabile de incisione loriciæ ejus.*

Inter hæc vir Dei Wlfricus, soli Deo cognitus, in notitiam hominum ad eorum salutem quasi mane novum prorupit; nam lorica, qua induebatur, cum se genibus ejus allideret, et genuflexionum ejus instantiam præpediret, militem sui conscium secreti advocat et apud eum de nimia longitudine loriciæ causatur; ad quem miles, "Mittetur," inquit, "Londonias, ut<sup>1</sup> sicut ipse designaveris incidatur." Respondens vir Dei dixit, "Nimiam moram haberet res ista, nec posset ostentationis nota carere; sed tu," inquit, "has forfices coram Deo apprehende, et manu propria hoc opus absolve;" dedit itaque in manibus ejus forfices de ipsius militis domo allatas, et militi hæsitanti et ipsum delirare existimanti ait, "Constans esto et vide ne trepides, ego vado pro hac re orare Dominum meum, et interim huic operi fiducialiter incumbe." Instat uterque miles, unus orationi et alter incisioni, et est opus in eorum manibus prosperatum, putabat enim miles non se ferrum incidere, sed pannum, dum tanta facilitate in ferro forfices incurrerunt; sed, viro Dei ante operis consummationem ab oratione cessante,

---

<sup>1</sup> Et in C.

coactus est ab incisione cessare. Adstitit Wlfricus A.D. 1154.  
 militi et, qualiter res profecerit, percunctatur; "Bene,"  
 inquit, "hactenus, sed nunc, te adveniente, ruptæ  
 "forfices substiterunt;" et ille, "Non te moveat hoc,"  
 inquit, "sed cum eisdem forficibus perface quod cœ-  
 "pisti;" miles itaque, resumpta fiducia, facilitate qua  
 prius rem feliciter consummavit, et quicquid inæquale  
 erat sine difficultate aliqua cœsequavit. Ex tunc vero  
 vir Dei, absque forficibus, cum digitis suis debilibus  
 non fide minori annulos loriceæ, ad varia sanitatum  
 remedia, cunctis caritative petentibus dividens minist-  
 rabat; hanc autem miles virtutem videns, admiratione  
 ineffabili stupefactus corruit ad pedes viri Dei, quo  
 facto Wlfricus confusus erectum militem adjuravit, ne  
 dum viveret hæc alicui revelaret; sed rei fama celebris  
 celari non potuit, cum plures viri religiosi de eadem  
 lorica annulos se habere gaudeant, et fama celebris  
 viri Dei totius regni fines circumquaque perlustret.

*De homine, qui diabolo homagium fecerit, a viro  
 Dei liberato.*

In aquilonalibus Angliæ partibus homo quidam erat  
 valde miserabilis, qui fortunam paupertatis non æque  
 ferens diabolo manus dedit et homagium ei fecit.  
 Diabolus autem, cum captæ prædæ suæ aliquamdiu  
 incubisset, miser ille intelligens reatum suum pœni-  
 tere cœpit, circumspiciens et deliberans, cui se patrono  
 committeret, qui illum a morte animæ liberaret. Pos-  
 tremo beatum Wlfricum adire deliberavit, in cujus  
 manu salus quiescere dicebatur, et de ingressu<sup>1</sup> suo  
 valde sollicitus, cum cuidam suorum id ipsum reve-  
 lasset, adstitit ei diabolus in effigie consueta et nota,  
 illum proditionis arguens castigatione crudeli se ipsum

---

<sup>1</sup> Progressu in C.

A.D. 1154. punire minatur, si quid tale de cætero attentaret; at  
— homo ille sibi silentium imponens vidit manifeste, quod inimicus ejus cogitationes cordis sui non cognovisset, nisi eas prius per verbum prodidisset vel signum. Dissimulato itaque aliquamdiu pœnitentiæ suæ proposito, iter tandem præmeditatum arripuit, ut ad Wlfricum Dei amicum veniret, et, transacto longo viæ spatio, ad vadum quidem illius fluminis, quod extra Heselbergam situm est, accessit, iter suum Domino prosperante; vir autem ille, cum vadum fuisset ingressus et de beati Wlfrici subventionem spem certam concepisset, supervenit diabolus ira gravi succensus, et manus in hominem violentas immittens infremuit et ait "Quid est," inquit, "proditor, quod facere voluisti? Moliris pactum nostrum dissolvere, sed frustra, quia proditoris, qua olim Deo renuntiasti et qua nunc mihi renuntiare cogitas, solvere pœnas modo debes, quia jam miserabiliter submergeris;" et tenens eum diabolus ita immobilem fecit, quod nec procedere nec in latus aliquod valuit declinare. Dum hæc agentur in flumine, vir Dei Wlfricus, rebus quæ fiebant a Deo sibi per spiritum prophetiæ revelatis, vocavit presbyterum suum ad se, nomine Brithricum, et ait, "Accelera," inquit, "et assumpta cruce cum aqua benedicta occurre homini, quem diabolus in vado, quod extra villam est, captivum tenet, et aspergens eum aqua benedicta adduces ad me;" at ille cum summa celeritate ad imperata iter arripiens invenit, sicut ei dictum fuerat, hominem in vado equo insidentem, et ita in aqua immobiliter fixum, quod de loco non potuit se movere; quem ut vidit Brithricus, protinus in virtutem magistri sui aqua benedicta hominem perfundens in nomine Jesu Christi prædam excussit et prædonem fugavit, sicque captivum de aquis assumens cum lætitiâ duxit ad virum Dei, qui interim pro miseria ejus orans manus habebat ad Deum. Sequebatur a tergo dæmon quondam hominem



suum, quem videns stantem ante virum Dei apprehendit eum clamantem et dicentem, "Serve Dei, succurre mihi, ecce invadit me inimicus meus." Sanctus autem apprehendit manum hominis dextram, et diabolus sinistram tenens cum virtute trahebat, et, sic trahentibus illis, vir Domini Wlfricus una manu captivum tenuit, et altera aqua, quam benedixerat, contra faciem inimici aspergens ipsum valde confusum ab ædibus effugavit; at vir Dei hominem tremebundum de faucibus mortis ereptum in interiorem cellam suam duxit, tenens eum ibi donec per confessionem pœnitens ille virus, quod dæmon infuderat ei, ad pedes sancti evomuit. Tunc homo, viribus resumptis, corpus Domini a sancto Wlfrico sibi oblatum in specie carnis conspexit, et interrogatus, si ex toto corde crederet, "Credo, domine," inquit, "quia corpus et sanguinem Domini mei in manibus tuis sub specie carnis video ego miser et peccator;" cui vir sanctus, "Deo gratias," inquit; "nunc simul oremus, ut in specie consueta illud percipere merearis;" sicque communicatum hominem et in fide confirmatum dimisit in pace.

Obiit autem amicus Dei sanctus Wlfricus decimo kalendas Martii, et in oratorio suo sepultus est apud Heselbergam, quo in loco, ad laudem Dei et gloriam sancti, innumera fiunt miracula usque in diem hodiernum.

#### *De genealogia Henrici regis.*

Anno Domini MCLV. natus est Londoniis pridie kalendas Martii Henrico, novo Anglorum regi, ex regina Alienor filius legitimus et vocatus est Henricus. Fuit autem magnificus rex Henricus filius Matildis, quæ prius fuerat imperatrix Romanorum et postea comitissa Andegavensium; cujus mater fuit Matildis, regina Anglorum, uxor Henrici regis primi et filia

A.D. 1155. sanctæ Margaretæ Scotorum reginæ; Margareta filia fuit Eadwardi, quam genuit ex Agatha sorore Henrici imperatoris Romani; Eadwardus fuit filius regis Eadmundi, qui Latus-ferreum dicebatur, cujus pater rex Ethelredus, cujus pater rex Eadgarus pacificus, cujus pater Eadmundus, cujus pater Eadwardus senior, cujus pater nobilis rex Alfredus, qui fuit regis Athulfi, qui fuit regis Egbrhti,<sup>1</sup> qui fuit Alcmundi, qui fuit Eoffa, qui fuit Eoppa, qui fuit Ingels, cujus frater Ine famosissimus rex Anglorum, quorum pater fuit rex Kenredus, qui fuit regis Ceolwaldi, qui fuit Cutha,<sup>2</sup> qui fuit Cuthwini, qui fuit Ceaulini, qui fuit Cuthrici, qui fuit Creodda, qui fuit Certic, qui fuit Elesa, qui fuit Egla, qui fuit Wig, qui fuit Frewine, qui fuit Freothegar, qui fuit Broand, qui fuit Beldai, qui fuit Woden, qui fuit Fretewald, qui fuit Freolater,<sup>3</sup> qui fuit Frethewlf, qui fuit Fringolduff, qui fuit Getha, qui fuit Tatwa, qui fuit Beau, qui fuit Seldwa, qui fuit Heremod, qui fuit Itermod, qui fuit Hathra, qui fuit Wala, qui fuit Bedwi, qui fuit Sem, qui fuit Noe.

Eodem anno rex Anglorum Henricus exhæredavit Willelmum Peverel causa veneficii, quod Ranulfo, comiti Cestriæ, fuerat propinatus; in hujus pestis consortio plures conscii exstitisse dicuntur. Eodem tempore rex Henricus fecit jurare fidelitatem filiis suis de regno Angliæ, Willelmo et Henrico.

Eodem tempore defuncto Roberto, Exoniensi episcopo, Robertus, Sarisberiensis decanus, successit. Per idem tempus Henricus, Wintoniensis antistes, præmisso thesauro suo per abbatem Cluniacensem, absque licentia regis ab Anglia clam recessit, quapropter rex tria ejus complanari fecit castella.

Circa eosdem dies Hugo de Mortuo-mari, vir arrogantissimus, castella sua contra regem munivit, turrim

<sup>1</sup> Egbrithi in C.

<sup>2</sup> Gutha in C.

<sup>3</sup> Firolaf in C.

scilicet Gloverniæ, Wiggemor et Breges, sed rex super- A.D. 1155.  
 veniens omnia usque ad novissimum cepit et sub-  
 vertit; sed postea cum rege pacificatus est.

Sub eisdem diebus Lodowicus, rex Francorum, duxit  
 filiam Alfonsi,<sup>1</sup> regis Hispaniæ, cujus regni caput  
 civitas est Toletum; quem, quia principatur regulis  
 Arragonum et Galiciæ, imperatorem Hispaniarum ap-  
 pellant.

Eodem tempore Thomas, Cantuariensis archidiaconus,  
 Beverlacensis præpositus et canonicus in diversis per  
 Angliam ecclesiis adscriptus, factus est regis can-  
 cellarius.

*Quod papa Adrianus Hiberniæ insulam regi  
 Anglorum dederit.*

Per idem tempus rex Anglorum Henricus nuntios  
 solemnnes Romam mittens rogavit papam Adrianum,  
 ut sibi liceret Hiberniæ insulam hostiliter intrare et  
 terram subjugare, atque homines illos bestiales ad  
 fidem et viam reducere veritatis, exstirpatis ibi plan-  
 tariis vitiorum; quod papa regi gratanter annuens  
 hoc sequens ei privilegium destinavit;

“ Adrianus episcopus, servus servorum Dei, caris-  
 “ simo in Christo filio, illustri Anglorum regi, salutem  
 “ et apostolicam benedictionem. Laudabiliter et satis  
 “ fructuose de glorioso nomine tuo propagando in  
 “ terris, et æternæ felicitatis præmio cumulando in  
 “ coelis, tua magnificentia cogitat, dum ad dilatandos  
 “ ecclesiæ terminos, ad declarandum indoctis et rudi-  
 “ bus populis Christianæ fidei veritatem, et vitiorum  
 “ plantaria de agro Dominico exstirpanda, sicut ca-  
 “ tholicus princeps intendis, et ad id convenientius  
 “ exsequendum consilium sedis apostolicæ exigis et

---

<sup>1</sup> Aldefonsi in C.

A.D. 1155. " favorem; in quo facto quanto altiori consilio et<sup>1</sup>  
 " majori discretione procedis, tanto in eo feliciorum  
 " progressum te, præstante Domino, confidimus habi-  
 " turum. Significasti siquidem nobis, fili in Christo  
 " carissime, te Hiberniæ insulam, ad subdendum popu-  
 " lum legibus Christianis et vitiorum inde plantaria  
 " extirpanda,<sup>2</sup> velle intrare, et de singulis domibus  
 " annum unius denarii beato Petro velle solvere pen-  
 " sionem, et jura ecclesiarum illius terræ illibata et  
 " integra conservare; nos autem pium et laudabile  
 " desiderium tuum favore congruo prosequentes, et pe-  
 " titioni tuæ benignum impendentes assensum, gratum  
 " et acceptum habemus, ut pro dilatandis ecclesiæ  
 " terminis, pro vitiorum restringendo discursu, pro  
 " corrigendis moribus et virtutibus inserendis, pro  
 " Christianæ religionis augmento, insulam illam ingre-  
 " diaris et quæ ad honorem Dei et salutem illius  
 " terræ spectaverint exsequaris, et illius terræ populus  
 " te recipiat et sicut dominum veneretur, jure eccle-  
 " siarum illibato et integro permanente, et salva beato  
 " Petro de singulis domibus annua unius denarii<sup>3</sup>  
 " pensione. Sane omnes insulas, quibus sol justitiæ  
 " Christus illuxit et quæ documenta fidei Christianæ  
 " susceperunt, ad jus beati Petri<sup>4</sup> et sacrosanctæ Ro-  
 " manæ ecclesiæ, quod tua etiam nobilitas recognoscit,  
 " non est dubium pertinere; si ergo quod animo conce-  
 " pisti effectu duxeris prosequente complendum, stude  
 " gentem illam bonis moribus informare, et agas tam  
 " per te quam per illos, quos ad hoc fide verbo et  
 " vita idoneos esse perspexeris, ut decoretur ibi eccle-  
 " sia, plantetur et crescat fidei Christianæ religio, et  
 " quæ ad honorem Dei et salutem pertinent anima-  
 " rum taliter ordinentur, ut et a Deo sempiternæ

<sup>1</sup> Wanting in C.<sup>2</sup> Plantariis extirpandis in D. and  
C.<sup>3</sup> Wanting in C.<sup>4</sup> Wanting in C.

“mercedis cumulum consequi merearis, et in terris A.D. 1155.  
 “gloriosum nomen valeas in seculis obtinere.”

*De inventione tunicæ inconsutilis Domini Salvatoris.*

Anno Domini MCLVI. in pago Parisiacensi, monasterio A.D. 1156.  
 Argentoilo, revelatione divina tunica Salvatoris inconsutilis et subfusi<sup>1</sup> coloris reperta est, quam, sicut literæ cum ea repertæ indicabant, gloriosa mater ejus fecerat ei dum adhuc puer esset.

Eodem anno rex Henricus in Normanniam transiens cepit longa obsidione castella Mirebellum et Chinonem, Losdunum vero antea in jus suum receperat; nam paulo ante cum frater ejus Gaufridus, qui, expulso comite Britanniae Hoelo, Nanneticam, civibus consentientibus, ceperat civitatem, hac conditione cum rege pacificatus est, ut rex daret ei singulis annis mille libras Anglicæ monetæ et Andegavensium duo millia, et sic inter eos discordia est sopita mense Julio.

Eodem anno rex Siciliae Willelmus civitatem Barum funditus evertit, Græcos superavit, civitates et castella sibi prius ablata in jus suum revocavit, cum papa Adriano pacem fecit, consecrationes episcoporum regni sui ei concedendo.

Tunc Alienor, regina Anglorum, peperit regi filiam, quam Matildem<sup>2</sup> nuncupavit.

*De presbytero, qui castitatis amore seipsum castravit.*

Circa dies istos heremita quidam, vir modestus et sanctus, in Hibernia non longe a purgatorio, de quo supradictum est, in loco deserto degebat, in cujus horto omni fere nocte dæmones visibiliter convenerunt, et statim post solis occasum congregati placitum ibi

<sup>1</sup> Subfusi in C.

| <sup>2</sup> Matildidem in D. and C.

A.D. 1156. tenuerunt, ante solis inde ortum recedentes; rationem quoque ibi reddebant dæmones principi dæmoniorum, quid mali fecerint in hominibus decipiendis, quorum confabulationes audivit vir sanctus manifeste et eorum figuras deformes visibiliter conspexit. Ad ostium cellulæ ejus conveniunt, sed, quoniam intrare non possunt, nudas illi sæpe mulieres ostendunt; sicque fit ut heremita ille, per confabulationes eorum, vitam illius regionis multorum hominum cognoscat. Erat autem in patria illa sacerdos quidam sanctæ vitæ et honestæ, qui parochiam regebat, cujus consuetudo talis,<sup>1</sup> ut quotidie mane surgens cœmeterium circumiret et pro animabus omnium, quorum ibi corpora quiescebant, septem psalmos devotus cantaret; caste præterea vixit, et bonis operibus atque sanctæ doctrinæ sollicitudine studium impendit. Dæmones vero in concilio suo multotiens conquesti sunt de eo, quod nullus eorum a proposito ipsum flectere potuisset; increpabat autem satellites suos princeps dæmonum, quod tam diu presbyter inflexibilis perstitisset. Tunc accedens unus eorum, "Ego," inquit, "decipiam eum, quia paravi ei mulierem per cujus pulchritudinem subjicietur nobis, sed hoc facere non potero nisi infra quindecim annos;" "Si infra hunc terminum," ait magister, "illum deceperis, magnam rem faceres." Contigit autem eo tempore, ut sacerdos juxta consuetudinem mane cœmeterium circumiens, infantulam juxta crucem in cœmeterio positam inveniret; quam accipiens presbyter, pietate motus, nutrici eam commendavit et illam in filiam adoptavit, et, quia sanctimoniam eam facere proposuit, literas discere fecit; quæ, cum annos pubertatis attigisset, erat puella nimis speciosa, unde presbyter cœpit tentari in concupiscentia ejus, et quo secretius, eo frequentius, presbyter tentatus nuper consensum petiit et invenit, nec tamen adhuc de carnis

---

<sup>1</sup> Talis fuit in C.

immunditia aliquid agebatur. Nocte itaque sequenti A.D. 1156. postquam puella actionem presbytero concessisset, dæmones, qui in horto heremitæ ex more convenerant, magnum de<sup>1</sup> consensu facto gaudium conceperunt; dæmon autem, qui sacerdotem decipere promiserat, magistro suo dicebat, "Ecce presbyter, quem per mulierem me decepturum dixeram, jam feci quod a virgine, quam in filiam adoptaverat et sanctimonialem facere decreverat, consensum stupri petens impetravit, et cras hora meridiana opus nefarium ad effectum perducam;" gratias ergo ei magister egit et viriliter ipsum fecisse dicebat. Die itaque crastino presbyter puellam vocans introduxit illam in cubiculum suum et eam in lecto collocavit, et stans ante lectum in tentatione positus cogitavit quid esset facturus, et tandem in se reversus jussit, ut puella expectaret donec ad illam rediret, et sic ad ostium cubiculi divertens cultrum arripuit et propria membra virilia abscindens foras projecit. "Quid," inquit, "putastis dæmones, quod non intellexerim tentationes vestras? De perditione mea vel filiæ meæ non gaudebitis, quia nec me nec ipsam habebitis." Sequenti quoque nocte, cum diabolus interrogaret discipulum quid de presbytero actum fuisset, respondit, se omnem laborem amisisse, et qualiter sacerdos seipsum castraverat, cunctis audientibus, enarravit; jussit ergo magister, ut dæmon ille graviter flagellaretur, et sic conventus solvitur spirituum immundorum; sacerdos autem puellam, quam nutriverat, Deo servituram sanctimonialibus commendavit.

---

<sup>1</sup> Wanting in C.

*Quod reges Anglorum et Scotorum mutua jura sibi  
ad invicem reddiderunt.*

A.D. 1157. Anno Domini MCLVII. rex Anglorum Henricus transfretavit in Angliam, et rex Scotorum Malcolmus reddidit ei civitatem Karleolum, Bamburgi castrum et Novum-castellum super Tynam, et totum comitatum Lodonensem, et rex reddidit ei Huntendonix comitatum. Willelmus similiter, filius regis Stephani nothus, qui erat comes Moretonii et de Warrenna reddidit regi Pevenesel et Norwicum, et omnes munitiones suas in Anglia et Normannia, quas ex dono regis Stephani possidebat, et rex Henricus dedit ei quicquid pater ejus rex Stephanus habuit die quo rex Henricus primus mortuus fuit et vivus; et tempore eodem Hugo Bigod castella sua regi resignavit. Eodem anno rex Henricus magnam paravit expeditionem, ita ut duo milites de tota Anglia tertium invenirent, ad expugnandum Wallenses per terram et per mare; intrans ergo Walliam rex, extirpatis silvis, nemoribusque succisis, atque viis patefactis, castrum Roelent firmavit, alias munitiones antecessoribus suis surreptas potenter revocavit, castellum etiam Basingewerc restauravit, et, Wallensibus ad libitum subjectis, cum triumpho Angliam repetivit.

Eodem anno natus est Henrico regi ex Alienor regina filius apud Oxoniam et vocatus est Richardus.

Et hucusque Robertus, abbas de Monte sancti Michaelis, chronica sua digessit.

*Quod rex Henricus coronam portavit.*

A.D. 1158. Anno Domini MCLVIII. rex Anglorum Henricus in Dominice nativitatis die apud Wigorniam coronatus est, ubi post celebrationem divinorum sacramentorum, coronam super altare posuit, nec ultra coronam por-



tavit. Eodem anno Alienor regina filium peperit, A.D. 1158. quem Gaufridum vocavit; et eodem anno nova moneta fuit in Anglia fabricata.

Eodem anno Thomas, regis cancellarius, in apparatu magno Parisius venit, Margaretam, regis Francorum filiam, Henrico, filio regis Anglorum, in conjugem accepturus.

Eodem anno, Gaufrido fratre regis Anglorum defuncto, idem rex mare transiens Nanneticam civitatem in jus suum recepit; quo etiam tempore rex Henricus a rege Francorum invitatus venit Parisius et receptus est in palatio regis, rege Francorum cum regina sua in claustrum canonicorum beatæ Mariæ virginis hospitante.

*Quod rex Anglorum Henricus Tholosam obsedit.*

Anno Domini MCLIX. rex Anglorum Henricus duxit exercitum versus Tholosam et cepit castella fortia vicina ejus, rege Francorum interim in urbe jugiter commorante; sed rex Anglorum ipsam civitatem non assiluit, ob reverentiam regis Francorum, cujus sororem Constantiam comes Tholosanus duxerat in uxorem et ex ea liberos susceperat, qua de causa reges inimici facti sunt, sicut exitus rerum postmodum declaravit.

Eodem anno defuncto papa Adriano, schisma oritur inter duos, Alexandrum scilicet et Octavianum, nam imperator cum clero suo receperat Octavianum, sed a regibus Francorum et Anglorum consensus est in Alexandrum; imperator autem ad dictos reges literas direxit, ut Octavianum reciperent, sed, ipsis contradicentibus, papatum obtinuit Alexander.

*Quod Henricus, Anglorum rex juvenis, uxorem  
ducit.*

A.D. 1160. Anno Domini MCLX. rex Anglorum Henricus a Tholosa reversus Margaretam, filiam regis Francorum, quam in sua custodia habebat, Henrico filio suo desponsari fecit, et castellum de Gisors diu desideratum recepit, quod, ut ait rex Francorum, præpropere factum fuerat, [quapropter] indignatus est valde; unde cum auxilio Theobaldi, comitis Flandrensis, ad dedecus regis Anglorum Calvum-montem firmavit, sed rex Anglorum festinus adveniens, rege<sup>1</sup> Francorum et comite<sup>2</sup> fugatis, castrum obsedit et infra dies paucos ad deditionem inclusos coegit: capti sunt autem intus milites quinquaginta quinque. Et sic celebratum est matrimonium inter filium regis Anglorum septennem et filiam regis Francorum triennem, auctoritate scilicet Henrici Pisani et Willelmi Papiensis, presbyterorum cardinalium, et sedis apostolicæ legatorum, quarto nonas Novembris apud Novum-burgum.

Eodem anno Theobaldus, Cantuariensis archiepiscopus, diem clausit extremum.

*De consecratione B. Exoniensis episcopi et de miraculo  
quod vidit.*

A.D. 1161. Anno Domini MCLXI. Bartholomæus, vir religiosus et<sup>3</sup> in theologicis disciplinis ad sufficientiam eruditus, a Waltero, Roffensi episcopo, consecratus est antistes Exoniensis. De hoc Bartholomæo venerabili viro fama refert notissima, quod, dum lucris animarum devotus intendens parochiam visitaret, in villa quadam campestri cum suis clericis pernoctavit. Dormiens igitur de nocte in solario quodam, quod ecclesiæ villæ ac

<sup>1</sup> Regi in D.

<sup>2</sup> Comiti in D.

<sup>3</sup> Wanting in C.

cœmeterio imminabat, cum circa noctis medium ad A.D. 1161.  
nocturnam synaxim Deo persolvendam evigilasset, lumen, quod coram illo ardere consueverat, apparebat extinctum; episcopus autem cubicularium suum graviter objurgans, quod in tenebris dormiret, præcepit ut velociter lumen quæreret et inferret. Interea vero antistes, dum luminis adventum vigilans exspectaret, audivit voces quasi infantum innumerabilium de cœmeterio exeuntes plangentium et dicentium manifeste, " Væ nobis, væ nobis! Quis amodo pro nobis orabit et eleemosynas dabit, vel pro nostra salute missas celebrabit?" Audiens autem has voces episcopus obstupuit vehementer, supra modum quid significarent admirans. Cubicularius quoque ejus lumen interim quærens, cum neque in aula neque in coquina ignem reperisset, exivit in villam anxius, et, multis jam ædibus perlustratis, lumen optatum non invenit; tandem, cum quærendo huc illuc quamdiu discurrisset, vidit lumen in ultima domo villæ, et illuc se cum festinatione conferens invenit in domo cujusdam hominis corpus exanime, et cum presbytero villæ multos utriusque sexus homines circumstantes et præ dolore defuncti flentes et capillos sui capitis detrahentes; at cubicularius episcopi, super his quæ vidit non multum sollicitus, lumen posuit in laterna sua, et cum festinatione ad episcopum reversus quæ sibi acciderant per ordinem enarravit. Cantatis igitur matutinis, cum crastina dies illuxisset, fecit episcopus convenire presbyterum cum quibusdam hominibus villæ, et sciscitatus ab eis diligenter, quis homo ille nuper defunctus esset et qualis vitæ ante obitum in sæculo exstitisset; qui omnes fatebantur de eo, quod esset vir justus ac timens Deum, pater orphanorum et consolatio miserorum, ut qui omnem substantiam suam in pauperibus, dum viveret, et hospitibus erogavit; tenuit præterea in domo sua presbyterum, cui de proprio omnia necessaria ministravit, qui commendationes animarum

A.D. 1161. et missarum suffragia diebus singulis pro defunctis fidelibus celebravit. Hæc autem cum audisset episcopus, intellexit continuo voces, quas audierat de cœmeterio emissas, nihil aliud esse quam voces animarum illorum corporum, quæ in cœmeterio quiescebant, plangentes de morte hominis illius et gementes, per quem dum vixerat eleemosynarum et missarum habere suffragia meruerunt. Tunc episcopus, vocato ad se presbytero, qui sub viro defuncto missas pro defunctis celebraverat, dedit ei portionem in ecclesia villæ, statuens et illi injungens, ut, quamdiu viveret, missam et obsequia defunctorum diebus singulis celebraret.

*Quod reges Francorum et Anglorum in concordiam convenerunt.*

A D. 1162. Anno Domini MCLXII. Lodowicus, rex Francorum, et Henricus, rex Anglorum, armatorum copiis undique congregatis, cum jam campestre prælium inter eos imminere putaretur prope Fretevallem, amici subito sunt effecti.

Eodem anno Alienor, Anglorum regina, apud Rothomagum filiam peperit et ei nomen suum imposuit.

Hoc etiam anno Richardus, Londoniensis episcopus, viam universæ carnis ingressus est.

Per idem vero tempus rex Henricus fecit jurare fidelitatem Henrico filio suo de hæreditate sua, et inter omnes magnates regni Thomas cancellarius primus fidelitatem juravit, salva fide regis patris quamdiu viveret et regno præesse vellet.

*Quod Thomas, regis cancellarius, in archiepiscopum eligitur.*

Eodem anno, congregato clero et populo totius provinciæ Cantuariensis apud Westmonasterium, Thomas, regis cancellarius, electus est in archiepiscopum solem-

niter, nemine reclamante; facta itaque electione sab- A.D. 1162.  
bato in Pentecosten, presbyter ordinatus est a Waltero,  
Rofensi episcopo, in ecclesia Cantuariensi; et sequenti  
die Dominica consecratus est ab Henrico, Wintoniensi  
episcopo, solemniter et inthronizatus. Nuntiis igitur  
ad papam directis, quem citra Alpes invenerunt ad  
Gallias descendentem, cum pallio sunt reversi; quod  
Thomas archiepiscopus, solitis constrictus sacramentis,  
ab altari suscipiens reverenter summi sacerdotis vestes  
induit, et habitum sic mutavit ut et animum permutaret,  
nam curiæ curis interesse renuntians ecclesiæ  
suæ negotiis et lucris spiritualibus intendebat; siquidem  
nuntios ad regem in Normanniam direxit, cancellariæ  
renuntians et sigillum resignans, quod in cor  
regis altius ascendit, in se solum causam resignationis  
tam subitæ retorquentis. Hæc prima fuit regalis  
animi perturbatio adversus Thomam, archipræsulem  
Cantuariensem. Erat autem Thomas iste Londoniensis  
urbis indigena, a primis adolescentiæ annis gratia  
multiplici decoratus; ab ineunte enim ætate beatam Dei  
genitricem, tanquam ducem viarum suarum, dulcius  
invocare, et in illam post Christum totam spem ponere,  
consuevit; liberalium quoque disciplinarum scholas  
tandem egrediens ad Theobaldum, Cantuariensem  
archiepiscopum, se contulit, et, industria promerente, in  
brevis dignus habitus est, ut ei familiarissimus haberetur.  
Quot autem et quantos ibi labores pro ecclesia  
Dei pertulerit, quotiens pro expediendis negotiis apostolorum  
limina visitaverit, quam felici exitu, quæ sibi  
injuncta fuerant,<sup>1</sup> expedierit, non est facile dictu, præsertim  
cum in causis perorandis et decidendis ac populis instruendis  
tota ejus intentio versaretur. Primo igitur a præfato archiepiscopo  
in archidiaconum Cantuariensem promotus, post modici temporis inter-

---

<sup>1</sup> Fuerat in C.

A.D. 1162. vallum regis cancellarius efficitur, ejus industria pro-  
 merente ; cancellarii autem fungens officio audaciam  
 milvorum sapienter depressit, qui regi adulantes diri-  
 pere conspiraverant tam provincialium quam ecclesiæ  
 facultates. Hæc de beato Thoma, qualis ante promo-  
 tionem in archiepiscopum exstiterit, prælibavimus, qua-  
 tenus ea, quæ de ipso sequuntur, lectori clarius eluce-  
 scant.

*De finali concordia facta inter ecclesiam beati Albani  
 et ecclesiam Lincolnicæ.*

Hoc anno sopita est discordia et amicabili fine  
 terminata inter ecclesiam Lincolnensem et cœnobium  
 beati Albani protomartyris Anglorum, Roberto de  
 Chaisneto episcopo agente, et Roberto de Gorham,  
 abbate de sancto Albano, defendente, in præsentia  
 regis Henrici secundi et archiepiscoporum, Thomæ  
 Cantuariensis et Rogeri Eboracensis, et episcoporum,  
 Henrici Wintoniensis, Willelmi Norwicensis, Jocelini  
 Saresberiensis, Bartholomæi Exoniensis, Hilarii Cices-  
 trensis, Hugonis Dunelmensis, Richardi Coventrensis,  
 Gileberti Herefordensis, et Godefridi de sancto Asaph,  
 præsentem etiam Roberto comite Legecestrensi, justici-  
 ario Angliæ, cum comitibus, baronibus, abbatibus,  
 archidiaconis, et innumera turba regni, apud West-  
 monasterium, feria quinta proxima ante passionem  
 Domini, in hunc modum ; “ Robertus, Dei gratia Lin-  
 “ colniensis episcopus, omnibus sanctæ matris ecclesiæ  
 “ filiis salutem. Notum sit universitati vestræ, quod  
 “ ego controversiæ illi, quam adversus Robertum, ab-  
 “ batem sancti Albani, et fratres ejus moveram, qua  
 “ monasterium ipsum sancti Albani et quindecim  
 “ ecclesias illas, quas in territorio suo privilegiatas  
 “ habuit, Lincolnensi ecclesiæ et mihi, ut ipsius  
 “ episcopo, in subjectionem et obedientiam petebam,

“ in præsentia testium prædictorum,<sup>1</sup> assensu capituli A.D. 1162.  
 “ mei in perpetuum renuntiavi; et, ut ab ea in per-  
 “ petuum conquiescam, de manu ipsius abbatis et  
 “ fratrum ejus villam, quæ dicitur Tinghurste, cum  
 “ ecclesia et omnibus pertinentiis ejusdem, pro decem  
 “ liberatis terræ, libere et quiete ecclesiæ Lincolniensi  
 “ in perpetuum de cætero possidendam, assensu do-  
 “ mini mei regis et fratrum nostrorum episcoporum  
 “ jam dictorum consilio, capitulo meo in hoc assen-  
 “ sum præbente, recepi; et jus, quod jam dicta abba-  
 “ tia, et in persona Roberti abbatis et successorum  
 “ ejus, et jam dictis quindecim ecclesiis, ecclesiæ meæ  
 “ et mihi et successoribus meis vendicabam, in manu  
 “ domini mei regis pro me et successoribus meis in  
 “ perpetuum resignavi. Sit itaque de cætero liberum  
 “ monasterio<sup>2</sup> beati Albani et quindecim jam dictis  
 “ ecclesiis chrisma sibi et oleum et benedictionem et  
 “ cætera omnia ecclesiæ sacramenta, a quo<sup>3</sup> voluerit  
 “ episcopo, absque nostra et ecclesiæ nostræ reclama-  
 “ tione, accipere, et de cætero in manu regis, sicut  
 “ sua dominica ecclesia, libera remanebit; reliquæ vero  
 “ ecclesiæ ejusdem monasterii passim per episcopatum  
 “ Lincolniensem constitutæ obedientiam et subjectio-  
 “ nem, quam cæteræ debent ecclesiæ, episcopo Lincol-  
 “ niensi et archidiaconis exhibebunt. Quod, ne de  
 “ cætero possit in litem revocari, scripti præsentis at-  
 “ testatione et sigilli mei et capituli appositione con-  
 “ firmavi, testibus supradictis.” Hanc pacem et con-  
 cordiam cum rex Henricus et Thomas, Cantuariensis  
 archiepiscopus, suis confirmaverant munimentis, papa  
 Alexander, eorum vestigia secutus, eam privilegio<sup>4</sup>  
 ecclesiæ Romanæ et subscriptione omnium cardinalium  
 communivit.

<sup>1</sup> Prædicta in C.

<sup>2</sup> Monasterium in D.

<sup>3</sup> Liceat abbati suo inserted in D.

<sup>4</sup> Per eam privilegium in D. and  
C.

- A.D. 1162. Eodem anno rex Hierosolymarum Baldewinus humanæ naturæ debitum solvit, cui successit frater ejus Amalricus.

*Secunda perturbatio contra Thomam, Cantuariensem archiepiscopum.*

- A.D. 1163. Anno Domini MCLXIII. rex Anglorum Henricus, finibus transmarinis pro voluntate dispositis, in Angliam rediit, et Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, illi obviam veniens in osculum receptus est, sed non in gratiæ plenitudinem, sicut ipsius regis vultus statim aversus omnibus qui aderant patenter ostendit.

Eodem anno, rege Anglorum ad hoc instante et Alexandro papa id concedente, Gilebertus, Herefordensis episcopus, ad sedem ecclesiæ Londoniensis translatus est, et quarto kalendas Maii in illa cathedra solemniter introductus.

Eodem anno Robertus de Muntfort, cum Henrico de Essexia de proditione regis singulari certamine congregiendi, victoriam reportavit; qua de causa Henricus notam infamiæ simul et exhæreditationis jacturam incurrens, indulgentia pii regis, apud Radingum habitum monachilem suscepit.

Hoc etiam anno Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, ad instantissimam regis petitionem archidiaconatum Cantuariensem dedit Gaufrido Ridel, clerico suo; sed gratiam regis sibi prius subtractam non plene redintegratam cognovit. Apparuit autem prima regis perturbatio contra Thomam archiepiscopum cum sigillum regi resignavit; secunda, cum regi de partibus transmarinis venienti occurrens receptus est in osculum, et non in gratiæ plenitudinem; tertia in hoc loco, cum archidiaconatum ad ejus petitionem contulit, nec tamen gratiam ejus sibi redintegratam cognovit. Eodem anno Clarenbaldus, sancti Augustini



electus, benedictionem a Thoma, Cantuariensi archi- A.D. 1163.  
 episcopo, accipere quærebat; sed in sua ecclesia et  
 sine processione, sp̄e cujusvis subjectionis adempta.  
 Consensit autem rex electo, consuetudines antiquas in  
 regno stare persuadens et archiepiscopo prædicta exi-  
 genti adversans; et in hoc loco quarto<sup>1</sup> apparuit  
 perturbatio regis contra ipsum. Eodem anno facta  
 est inquisitio generalis per Angliam, cui quis in ser-  
 vitio seculari de jure obnoxius teneretur; inventum  
 est in Cantiā provincia, quod Willelmus de Ros in  
 munere quolibet subeundo regem deberet agnoscere et  
 non archiepiscopum, et sic odium personæ in damnum  
 ecclesiæ redundavit; et hic quinto loco apparuit per-  
 turbatio regis contra illum. Sexto apparuit, cum  
 archiepiscopus vacantem ecclesiam de Ainesford cui-  
 dam Laurentio contulit; sed Willelmus, villæ domi-  
 nus, sibi jus vendicans patronatus Laurentium expulit,  
 pro quo facto archiepiscopus Willelmum excommuni-  
 cavit; quod, quia rege minime certiorato fecisset,  
 maximam ejus indignationem incurrit. Asserit enim  
 rex, juxta dignitatem<sup>2</sup> regni sui, quod nullus, qui de  
 rege in capite teneat, vel minister ejus, citra illius  
 conscientiam sit excommunicandus ab aliquo, ne, si  
 hoc regem lateat, lapsus ignorantia communicet ex-  
 communicato, comitem vel baronem ad se venientem  
 in osculo vel consilio admittat. Septimo apparuit,  
 cum idem rex nuntios ad curiam Romanam misisset,  
 ut consuetudines regni confirmaret, ubi in aliquo pro-  
 fecisset; nuntii reversi animum<sup>3</sup> regis contra archi-  
 episcopum et alios exasperatum non poterant miti-  
 gare.

<sup>1</sup> Wanting in C.<sup>2</sup> Indignitatem in C.<sup>3</sup> Wanting in C.

*Quod papa Alexander concilium Turonis  
congregavit.*

A.D. 1168. Eodem anno papa Alexander Turonis concilium congregavit in ecclesia sancti Mauricii duodecimo kalendas Junii; ad cujus vocationem, permissione regis Angliæ, venerunt archiepiscopi, episcopi<sup>1</sup> et alii Angliæ prælati, Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, cum suis suffraganeis, et ad dexteram papæ in concilio sedit, et archiepiscopus Eboracensis Rogerus ad sinistram, cum solo episcopo Dunelmensi.

Eodem anno rex Malcolmus Scotorum et Resus princeps Demetiæ, id est Australium Wallensium,<sup>2</sup> cum aliis regibus et majoribus Cambriæ, kalendis Julii apud Wodestoke fecerunt homagium regi Anglorum et Henrico filio ejus. Ipso etiam anno Rogerus, comes Clarensis, a Thoma, Cantuariensi archiepiscopo, apud Westmonasterium vocatus ad faciendum sibi homagium de castello Tunebregge et pertinentiis ejus, contradixit ei comes instinctu regis, dicens, feodum illud totum in servitio laicali ad regem potius quam ad archiepiscopum pertinere; et hic loco octavo apparuit regis perturbatio adversus archiepiscopum Cantuariensem.

*Facta est recognitio consuetudinum Angliæ apud  
Clarendunam.*

A.D. 1164. Anno Domini MCLXIV., in præsentia regis Henrici apud Clarendunam octavo kalendas Februarii, præsidente Johanne de Oxonia de mandato ipsius regis, præsentibus etiam archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, comitibus, baronibus et proceribus regni, facta est recognitio, sive recordatio, cujusdam partis

<sup>1</sup> Wanting in C.

| <sup>2</sup> Walensium in C.

consuetudinum et libertatum antecessorum suorum, A.D. 1164. regis videlicet Henrici avi sui et aliorum, quæ observari debent<sup>1</sup> in regno ab omnibus et teneri, propter dissensiones et discordias sæpe emergentes inter clericum et justiciarios domini regis et magnates<sup>2</sup> regni; harum vero consuetudinum recognitarum quædam pars in sexdecim capitulis subsequentibus continetur.

De advocacione et præsentatione ecclesiarum si controversia emerit inter laicos et clericos, vel inter clericos, in curia domini regis [tractetur et terminetur.

Ecclesiæ de feodo domini regis] non possunt in perpetuum dari absque concessione ipsius.

Clerici accusati de quacunque re, summoniti a justiciario regis, veniant in curiam ipsius responsuri ibidem de hoc, unde videbitur curiæ regis, quod ibi sit respondendum; et in curia ecclesiastica, unde videbitur, quod ibi sit respondendum; ita quod regis justiciarius mittet in curiam sanctæ ecclesiæ ad videntum, quomodo res ibi tractabitur. Et si clericus convictus vel confessus fuerit, non debet eum de cætero ecclesia tueri.

Archiepiscopis, episcopis et claris<sup>3</sup> personis regni, non licet exire a regno absque licentia domini regis; et si exierint, si regi placuerit, securum eum facient, quod nec in eundo nec in redeundo vel moram faciendo perquirent malum sive damnum domino regi vel regno.

Excommunicati non debent dare vadium ad remanens, nec præstare juramentum, sed tantum vadium et plegium standi iudicio ecclesiæ ubi absolvuntur.

Laici non debent accusari, nisi per certos et legitimos accusatores et testes in præsentia episcopi, ita quod archidiaconus non perdat jus suum nec quicquam quod inde habere debeat; et si tales fuerint, qui culpantur, quod non velit vel non audeat aliquis accusare

<sup>1</sup> Deberet in C.

<sup>2</sup> Magnatibus in D.

<sup>3</sup> Wanting in C.

A.D. 1164. eos, vicecomes requisitus ab episcopo faciat jurare duodecim legales homines de visneto sive de villa coram episcopo, quod veritatem secundum conscientiam suam manifestabunt.

Nullus qui de rege tenet in capite, nec aliquis dominicorum ministrorum ejus, excommunicetur, nec alicujus eorum terræ sub interdicto ponantur, nisi prius dominus rex, si in regno fuerit, conveniatur, vel justiciarius ejus, si fuerit extra regnum, ut rectum de eo faciat; et ita, ut quod pertinebit ad regis curiam ibi terminetur, et de eo quod spectat ad curiam ecclesiasticam ad eandem mittatur ut ibidem terminetur.

De appellationibus, si emerint, ab archidiacono debent procedere ad episcopum, ab episcopo ad archiepiscopum, et, si archiepiscopus defuerit in justitia exhibenda, ad dominum regem perveniendum est postremo, ut præcepto ipsius in curia archiepiscopi controversia terminetur, ita quod non debet ultra procedere absque assensu domini regis.

Si calumnia emerint inter clericum et laicum, vel e converso, de ullo tenemento quod clericus velit ad eleemosynam trahere, vel laicus ad laicum feodum, per recognitionem duodecim legalium hominum juxta capitalis justiciarii regis considerationem terminabitur, utrum tenementum sit pertinens<sup>1</sup> ad eleemosynam, sive ad laicum feodum, coram justiciario regis; et si recognitum fuerit ad eleemosynam pertinere, placitum erit in curia ecclesiastica; si vero ad laicum feodum, nisi ambo tenementum de episcopo eodem vel barone advocaverint, erit placitum in curia regis; sed, si utriusque advocaverint de feodo illo eundem episcopum vel baronem, erit placitum in curia ipsius, ita quod propter factam recognitionem saisinam non amittat, qui prius fuerat saisitus.

---

<sup>1</sup> Wanting in C.

[Qui] de civitate vel castello vel burgo vel dominico A.D. 1164.  
 manerio regis fuerit; si ab archidiacono vel episcopo  
 super aliquo delicto citatus fuerit, unde debeat eis  
 respondere, et ad citationes eorum noluerit satisfacere,  
 bene licet eis sub interdicto ponere eum, sed non  
 debent ipsum excommunicare priusquam capitalis  
 minister regis villæ illius conveniatur, ut justiciet  
 eum ad satisfactionem venire; et si minister regis  
 villæ illius<sup>1</sup> inde defecerit, erit in misericordia regis,  
 et exinde poterit episcopus ipsum accusatum eccle-  
 siastica justitia coercere.

Archiepiscopi, episcopi et universæ personæ regni,  
 qui de rege tenent in capite, habeant possessiones  
 suas de rege sicut baroniam, et inde respondeant jus-  
 ticiariis et ministris regis, et sequantur et faciant  
 omnes consuetudines regias; et, sicut cæteri barones,  
 debent interesse judiciis curiæ regis cum baronibus,  
 quousque perveniatur ad diminutionem membrorum vel  
 ad mortem.

Cum vacaverit archiepiscopatus, vel episcopatus, vel  
 abbatia, vel prioratus in dominio regis, debet esse in  
 manu ipsius, et inde percipiet<sup>2</sup> omnes redditus et  
 exitus sicut dominicos redditus suos. Et cum ventum  
 fuerit ad consulendum ecclesiam, debet dominus rex  
 mandare potiores personas ecclesiæ, [et] in capella  
 ipsius regis [debet fieri electio, assensu ipsius regis]<sup>3</sup>  
 et consilio personarum regni, quas ad hæc<sup>4</sup> faciendum  
 advocaverit; et ibidem faciet electus homagium et  
 fidelitatem regi, sicut ligio domino suo, de vita sua  
 et membris et de honore terreno, salvo ordine suo,  
 priusquam consecratur.

Si quisquam de proceribus regni disfortiaverit archi-  
 episcopo, vel episcopo, vel archidiacono de se suisve  
 justitiam exhibere, dominus rex debet eos justiciare;

<sup>1</sup> Villæ illius wanting in C.

<sup>2</sup> Perciperet in C.

<sup>3</sup> The six preceding words want-  
 ing in C.

<sup>4</sup> Hoc in C.

A.D. 1164. et si forte aliquis disfortiaret domino regi rectitudinem suam, archiepiscopi, episcopi et archidiaconi debent eum justiciare, ut regi satisfaciât.

Catalla eorum, qui sunt in forisfacto regis, non detineat ecclesia vel cœmeterium contra justiciarios regis, quia ipsius regis sunt, sive in ecclesiis sive extra fuerint inventa.

Placita de debitis, quæ fide interposita debentur vel absque interpositione fidei, sint in justitia regis.

Filii rusticorum non debent ordinari absque assensu domini de cujus terra nati dignoscuntur.

Hanc recognitionem sive recordationem de consuetudinibus et libertatibus iniquis, et dignitatibus Deo detestabilibus, archiepiscopi, episcopi, abbates, priores, clerus, cum comitibus et baronibus ac proceribus cunctis, juraverunt, et firmiter in verbo veritatis promiserunt viva voce se tenendas et observandas domino regi et hæredibus suis bona fide et absque malo ingenio in perpetuum.

*De pœnitentia beati Thomæ archiepiscopi pro consuetudinibus temere concessis.*

His ita gestis, potestas laica in res et personas ecclesiasticas omnia pro libitu, ecclesiastico jure contempto, tacentibus aut vix murmurantibus episcopis potius quam resistantibus, usurpabat. Thomas igitur, Cantuariensis archiepiscopus, in se reversus, cum leges iniquas et omnibus Christi fidelibus detestandas concessisset et eas observare juramento firmasset, rem temere perpetrata diligenter examinans seipsum graviter affixit, alimentis austerioribus et indumentis corpus humiliavit, suspendens se ab altaris officio, donec per confessionem et condignos pœnitentiæ fructus a summo pontifice meruit devotus absolvi; nam illico nuntios ad Romanam dirigens curiam, dum causam ecclesiæ et suam ad summi pontificis in schedula

conscriptam transmisisset cognitionem, ab obligatione, A.D. 1164. quam inconsulte inierat, absolutionem petiit et eam<sup>1</sup> — per has sequentes literas impetravit.

*De absolutione beati Thomæ pro temerario juramento.*

“Alexander episcopus, et cætera. Ad aures nostras fraternitas tua noverit fuisse perlatum, quod, occasione cujusdam excessus, a missarum proposueris celebratione cessare et a consecratione corporis et sanguinis Domini abstinere; quod utique quam grave sit, præcipue in tanta persona, et quantum inde possit scandalum provenire, sollicita meditatione consideres, et hoc ipsum vigilantia tuæ discretionis attendat. Debet autem prudentia tua diligenter advertere, quod plurimum interest, quando ex deliberatione et propria voluntate, et quando ignorantia vel necessitate aliqua committuntur; nam, sicut legitur, Usque adeo voluntarium est peccatum, quod nisi sit voluntarium non sit peccatum. Si igitur aliquid recolis te commisisse, de quo te debeat propria conscientia remordere, quicquid sit, sacerdoti, qui discretus et providus habetur,<sup>2</sup> tibi consulimus per pœnitentiam confiteri; quo facto, miserator et misericors Dominus, qui multo plus ad cor respicit quam ad actus, tibi consueta pietatis suæ misericordia dimittet; et nos, de beatorum Petri et Pauli apostolorum ejusque meritis confidentes, te ab eo quod est commissum absolvimus, et id ipsum fraternitati tuæ auctoritate apostolica relaxamus, consulentes utique ac mandantes, ut postea a missarum celebratione propter hoc non debeas abstinere.”

---

<sup>1</sup> Eas in C.

| <sup>2</sup> Habeatur in C.

*Quod rex decrevit, ut a laicis clerici punirentur.*

A.D. 1164. Eodem anno rex Henricus volens in singulis, ut dicebat, maleficia debita<sup>1</sup> cum severitate punire, et cujuscumque ordinis dignitatem ad iniquum trahi dispendium, incongruum esse asseruit, clericos a suis justiciariis in publico flagitio deprehensos episcopo loci tradere impunitos; decrevit enim, ut quos episcopi invenirent obnoxios, præsente regis justiciario, exauctorarent, et post curiæ regis traderent puniendos. In contrarium sentiebat archiepiscopus, ut quos exauctorarent episcopi a manu laicali postmodum non punirentur, quia bis in id ipsum puniri viderentur. Huic controversiæ præstitit occasionem Philippus de Broc, canonicus Bedefordensis, qui, tractus in causam propter homicidium, in regis justiciarium verbum protulit contumeliosum; quod cum negare coram archiepiscopo non posset, præbendæ suæ beneficio multatus est et per biennium a regno pulsus; et hic nono loco apparuit perturbatio regis contra archiepiscopum.

*Quomodo beatus Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, a Norhamptona injuriatus a rege recesserit.*

Videns igitur archiepiscopus libertates ecclesiæ jam funditus exspirasse, inscio rege, apud Rumenel navem ascendit Romam profecturus, sed, vento in contrarium flante, in Angliam rejectus est, ex quo facto loco decimo regis offensam incurrit; quapropter illico tractus in causam, Johanne Mareschallo regi deferente querelam pro manerio quodam, quod a multis temporibus, ut dicebatur, archiepiscopus inconcusse possederat, tandem post graves vexationes contrariam reportavit sententiam et regi judicatum solvi sufficien-

---

<sup>1</sup> Wanting in C.



ter cavit, habita taxatione in quingentis libris; et hic A.D. 1164.  
 loco undecimo apparuit perturbatio regis adversus  
 archiepiscopum puram conscientiam habentem. Item  
 apud Northamptonam tractus in causam super actu,  
 quem in cancellaria egerat, præsentiam suam exhibuit  
 tertio idus Octobris, et quoniam castellanias de Eya  
 et de Berchamestede pluribus annis libere possedisset,  
 multum<sup>1</sup> consentaneum rationi videbatur, ut a capite  
 incipiens perceptorum redderet rationem; sed quoniam  
 ante consecrationem suam archiepiscopus ab Henrico  
 filio regis et hærede atque a justiciario regni liber et  
 absolutus ab omni ratiocinio fuerat assignatus episco-  
 pus, [et,] ne injusto condemnaretur iudicio, sedem  
 apostolicam appellavit,<sup>2</sup> et, sub poena anathematis,  
 tam suis suffraganeis episcopis quam laicis universis  
 prohibuit ne in patrem suum et iudicem sententiam  
 proferrent iniquam; proceres vero et episcopi, qui ad  
 hoc vocati erant a rege, in<sup>3</sup> eum nihilominus non  
 convictum neque confessum, sed privilegium ecclesiæ  
 suæ et suam protestantem, sententiam intorserunt; et  
 sic archiepiscopus in arcto positus et opprobriis laces-  
 situs, omni que episcoporum solatio destitutus, crucem,  
 quam<sup>4</sup> manu tenebat, in altum erexit et a curia palam  
 recessit; sicque sequenti nocte villam latenter egrediens,  
 et ab aspectibus hominum se diebus subtrahens, et de  
 noctibus iter expediens, post dies aliquot ad Sandwici  
 pervenit portum, ubi in navicula fragili in Flandriam  
 est transvectus; actus ergo in exilium Christi confessor  
 a domino papa Alexandro Senonis receptus est et in  
 Pontiniacensi monasterio commendatus.

<sup>1</sup> Multis in D.<sup>2</sup> Appellaverit in D.<sup>3</sup> Et in C.<sup>4</sup> Wanting in D.

*Allegatio nuntiorum regis contra beatum Thomam,  
Cantuariensem archiepiscopum.*

A.D. 1164. Missi sunt eodem tempore nuntii a rege Anglorum ad papam Senonas,<sup>1</sup> qui in consistorio coram eo talia allegabant; Inter Thomam, Cantuariensem archiepiscopum, et regem Anglorum controversia versabatur, de utriusque voluntate die præfixo, ut in eo, justitia mediante, illa controversia terminetur; ad eundem diem, ex præcepto regio, archiepiscopi, episcopi et cæteri ecclesiarum prælati convocantur, ut quanto generalior esset concilii celebratio tanto manifestior fieret fraudis et malitiæ denudatio. Die constituto catholici principis conspectui se præsentavit archiepiscopus regni turbator et ecclesiæ, qui, de suorum meritorum qualitate non securus, Dominicæ crucis armat se signaculo, tanquam ad tyranni præsentiam accessurus; nec tamen regia majestas inde offenditur, sed causæ suæ iudicium episcoporum fidei committit, ut sic ab omni suspitione liberetur. Restabat ut iudicio episcopi causam terminarent, ut sic dissidentes in gratiam fœderarent et dissensionis eorum materiam sepelirent; at obviat adversarius et objicit, quoniam ipsum coram rege stare iudicio, esset apostolicæ sedis et dignitatis diminutio; ac si nesciat, quod, etsi in illo iudicio aliquantulum derogaretur ecclesiæ dignitati, dissimulandum erat pro tempore, ut pax ecclesiæ redderetur. Objicit iterum, patris sibi nomen ascribens, quod arrogantiam redolere videtur quod filii in patris damnationem minime debuerant convenire; sed necessarium erat, ut patris<sup>2</sup> superbiam filiorum humilitas temperaret, ne post patrem in filiis patris odium parentaret. Instabant autem ad hoc nuntii studiose, ut duo legati mitterentur a papa, qui causam Cantuariensis archi-

---

<sup>1</sup> Senonis in C.

| <sup>2</sup> Patri in C.

episcopi ac regis, omni appellatione remota, diffinirent. A.D. 1164.  
 Demum multis promissionibus papam flectere curabant, ut consuetudines regni Angliæ et libertates, quas rex ab avo suo rege Henrico avitas appellabat dignitates, confirmare et clementer concedere dignaretur; sed cum, reversis legatis, rex in hac petitione sese<sup>1</sup> cognovisset fuisse repulsum, ira vehementi incanduit et has sequentes literas singulis Angliæ vicecomitibus sub hac forma direxit;

*Literæ regis ad vicecomitem Canticiæ contra clericos  
 beati Thomæ.*

“ Præcipio tibi, quod si aliquis clericus vel laicus  
 “ in balliva tua Romanam curiam appellaverit, eum  
 “ capias et firmiter teneas donec voluntatem meam  
 “ præcipiam; et omnes redditus clericorum archiepi-  
 “ scopi et possessiones saisias in manum meam, et  
 “ omnium clericorum, qui cum archiepiscopo sunt, pa-  
 “ tres et matres, fratres et sorores, nepotes et neptes,  
 “ pones per salvos plegios, et catalla eorum, donec  
 “ voluntatem meam inde præcipiam; et hoc breve  
 “ tecum afferas cum summonitus fueris.” Gileberto  
 quoque, Londoniensi episcopo, scripsit in hæc verba;

*Literæ regis ad episcopum Londoniensem unde ut  
 supra.*

“ Nosti quam male Thomas, Cantuariensis archiepi-  
 “ scopus, operatus est adversum me et regnum meum,  
 “ et quam male recesserit; et ideo mando tibi, quod  
 “ clerici sui, qui detraxerunt honori meo et regni, et  
 “ qui circa ipsum fuerunt post fugam suam, non per-  
 “ cipiant aliquid de redditibus suis, quos habuerunt

---

<sup>1</sup> Se in C.

A.D. 1164. " in episcopatu tuo, nisi per me, nec habeant aliquod  
 " auxilium vel consilium a te." Item justiciariis suis  
 significavit per literas sub hac forma ;

*Idem rex ad justiciarios suos contra beatum Thomam  
 archiepiscopum.*

" Si quis inventus fuerit ferens literas domini papæ  
 " vel mandatum, aut Thomæ archiepiscopi, continens  
 " interdictum Christianitatis in Anglia, capiatur et  
 " retineatur donec inde voluntatem meam præcipiam.  
 " Item, nullus clericus, monachus, canonicus vel con-  
 " versus, vel alicujus religionis, transfretare permit-  
 " tatur, nisi habeat literas de reditu suo justiciarii  
 " vel nostras ; si quis aliter inventus fuerit, capiatur  
 " et retineatur. Nullus appellet ad papam neque ad  
 " Thomam archiepiscopum, neque aliquod placitum ex  
 " eorum mandato teneatur, neque aliquod mandatum  
 " eorum in Anglia recipiatur ; et si quis tenuerit, vel  
 " receperit, vel tractaverit, capiatur et retineatur. Si  
 " episcopi, abbates, clerici vel laici sententiam inter-  
 " dicti tenuerint, sine dilatione a terra ejiciantur, et  
 " tota eorum cognatio, ita quod nihil de catallis suis  
 " secum ferant, sed catalla eorum et possessiones in  
 " manu nostra saisiantur. Omnes clerici, qui redditus  
 " habent in Anglia, sunt summoniti per omnes comi-  
 " tatus, ut infra tres menses sint in Anglia ad red-  
 " ditus suos, sicut eos diligunt et amodo in Angliam  
 " redire ; et, si ad terminum præfixum non venerint,  
 " redditus eorum in manu nostra saisiantur. Episcopi  
 " Londoniensis et Norwicensis summeantur, quod  
 " sint coram justiciariis nostris ad rectum faciendum,  
 " quod contra statuta regni interdixerunt terram Hu-  
 " gonis comitis et in ipsum sententiam anathematis  
 " intulerunt. Denarii beati Petri colligantur et ser-  
 " ventur, quousque inde vobis dominus rex volunta-  
 " tem suam præceperit." Ecclesiam præterea Cantua-

riensem et omnia bona archiepiscopi rex et suorum A.D. 1164.  
 confiscari præcepit, et, quod in nullius historiæ legitur  
 serie, totam ejus cognationem exilio adscriptam ad-  
 dixit, sine delectu conditionis, sexus aut ætatis; et,  
 cum ecclesia catholica oret pro hæreticis, schismaticis  
 et perfidis Judæis, prohibitum est a rege, ne quis  
 archiepiscopum orationum suffragiis adjuvaret.

*Allegatio beati Thomæ archiepiscopi in præsentia  
 domini papæ.*

Beatus igitur Thomas, Cantuariensis archiepiscopus,  
 suffraganeorum suorum, inter tot injurias, omnium  
 solatio destitutus, profectus est ad curiam Romanam,  
 et in præsentia domini papæ sic loqui exorsus est;  
 “ Ad audientiam vestram, pater sanctissime, confugio,  
 “ dolens statum ecclesiæ et jura ejus in avaritiam  
 “ principum dissipari; quapropter occurrendum credidi  
 “ morbo venienti. Vocatus autem sum coram rege, ut  
 “ de quibusdam custodiis, quas olim cancellarius regis  
 “ existens disposueram, in ratiocinium tanquam<sup>1</sup> laicus  
 “ computarem, qui in promotione mea ad archiepisco-  
 “ patum a filio regis primogenito et justiciario regni  
 “ ab omni ratiocinio et obligatione liber fui episcopus  
 “ assignatus. Et nunc, unde mihi resistendi suffragia  
 “ speraveram, destitutus sum, animadverti enim do-  
 “ minos et confratres meos episcopos, pro aulicorum  
 “ arbitrio, in me animadvertere paratos, et, cunctis  
 “ incursantibus contra me, fere suffocatus ad tuæ pie-  
 “ tatis audientiam, quæ nec in extremis negligit, re-  
 “ spiravi; sub qua demonstraturus adsto,<sup>2</sup> me nec  
 “ ibi fuisse judicandum, nec ab illis; nam quid aliud  
 “ hoc esset, nisi jura ecclesiæ sibi subtrahere? Quid  
 “ aliud quam spiritualia temporalibus submittere?  
 “ Semel hoc natum, exemplum esset ad multa. Sed

<sup>1</sup> Ut tanquam in D.

<sup>2</sup> Esto in D.

A.D. 1164. "dicunt episcopi, Reddenda sunt Cæsari, quæ ejus  
 " sunt; sed si in pluribus obtemperandum est regi, in  
 " illis tamen obtemperandum non est, quibus efficitur  
 " ne sit rex; non enim essent illa Cæsaris, sed  
 " tyranni, in quibus, etsi non pro me, pro seipsis epi-  
 " scopi ei resistere deberent. Quæ enim hæc causa  
 " tanta fuit odii, ut pro me exstinguendo seipsos ex-  
 " stinguere? Itaque dum spiritualia pro temporali-  
 " bus negligunt, deficiunt in utrisque. Condescende  
 " ergo, pater sanctissime, in fugam meam et persecu-  
 " tionem, et me aliquando tempore tuo reminiscere  
 " magnum fuisse et propter te injuriis lacessitum;  
 " utere igitur rigore tuo, coerce illos, quorum in-  
 " stinctu nomen hujus persecutionis obrepit;<sup>1</sup> nec  
 " domino regi horum aliquid imputetur, qui hujus  
 " machinationis minister est potius quam repertor."

*Quod papa sententiam ab episcopis in archiepiscopum  
 latam in irritum revocavit.*

His auditis allegationibus, dominus papa, habita  
 cum cardinalibus deliberatione, Thomæ, Cantuariensi  
 archiepiscopo, tale fertur dedisse responsum; "Quod  
 " minor majorem judicare non possit, et præsertim  
 " eum, cui jure prælationis subesse dignoscitur et  
 " obedientiæ vinculo tenetur adstrictus, tam divinæ  
 " quam humanæ leges demonstrant, et sanctorum pa-  
 " trum statutis id manifestius declaratur; hanc siqui-  
 " dem nos, quorum interest errata corrigere, senten-  
 " tiam ab episcopis et baronibus præsumptuose in te  
 " latam, in qua tibi jam dicti episcopi ac barones  
 " omnia mobilia tua, tam contra juris ordinem quam  
 " contra ecclesiasticam consuetudinem, abjudicarunt,  
 " præsertim cum nulla mobilia præterquam de bonis  
 " ecclesiæ tuæ habueris, irritam penitus esse censemus

---

<sup>1</sup> Obrepissit in D.

“ et eam auctoritate apostolica cassamus; statuentes, A.D. 1164.  
 “ ut nullas in posterum vires obtineat, vel tibi aut  
 “ successoribus tuis, seu ecclesie tue gubernationi  
 “ commissæ, aliquod in posterum valeat præjudicium  
 “ generare. Cæterum si hii, qui in possessionibus et  
 “ bonis ecclesie tue tibi aut tuis vel violentiam vel  
 “ injuriam intulerunt, legitime commoniti vobis ablata  
 “ restituere et satisfactionem congruam exhibere nolu-  
 “ erint, tu in eos, si opportunum esse videris, ecclesias-  
 “ ticam justitiam non differas exercere, et nos quid  
 “ inde rationabiliter feceris ratum habebimus atque  
 “ firmum; verum de persona regis speciale tibi man-  
 “ datum non dæmus, nec tamen in aliquo tibi jus  
 “ pontificale, quod in consecratione tua suscepisti, adi-  
 “ mimus, sed ipsum illæsum volumus conservare.”  
 Et, his ita gestis, Thomas archiepiscopus ad Pontinia-  
 cense cœnobium remeavit.

*Quod Matildis, filia regis, duce Saxonie maritatur.*

Anno Domini MCLXV. Reginaldus, Coloniensis archi- A.D. 1165.  
 episcopus, qui schisma Octaviani contra papam fo-  
 verat Alexandrum, venit apud Westmonasterium ad  
 regem Henricum accepturus in conjugem Matildem,  
 filiam regis primogenitam, Henrico duci Saxonie; cui  
 cum magnates Anglie solemniter occurrissent, Rober-  
 tus, comes Legecestrie et justiciarius regis, illum in  
 osculum non recepit, excommunicatus enim erat a  
 papa et non absolutus, unde altaria, super quæ missam  
 ille schismaticus celebravit,<sup>1</sup> passim sunt subversa.

Eodem anno Alienor regina regi Anglorum Henrico  
 peperit filiam, quam vocavit Johannam.

Eodem etiam anno Godefridus, episcopus de sancto  
 Asaph, in basilica sancti Albani protomartyris An-  
 glorum ad majus altare in cena Domini chrisma con-

<sup>1</sup> Illi schismatico celebrarunt in D.

A.D. 1165.        fecit et oleum sanctum, fultus auctoritate privilegiorum loci, in præsentia abbatis Roberti.

Eodem denique anno Noradinus quidam, Turcorum princeps potentissimus, in finibus Antiochenis Hareng castrum obsedit; quo audito, Boamundus, Antiochenus princeps, Reimundus, comes Tripolitanus, Salamannus, Ciliciæ præsul, et Thoros, Armeniorum princeps, obsidionem solvere cupientes ad locum accedunt et Noradinum in fugam propellunt; quem cum temere fugientem insequerentur, reversus est contra nostros ipsum insequentes, et facta irruptione in ipsos, nobiles cepit memoratos, et eos vinculis constrictos apud Halapiam custodiæ mancipavit; castrum etiam, quod prius obsederat, militaribus copiis circumcingens levi negotio subjugavit.

*Quod beatus Thomas observatores consuetudinum  
Angliæ excommunicavit.*

A.D. 1166.        Anno Domini MCLXVI. rex Henricus in initio Quadragesimæ in Normanniam transfretavit; quod audiens Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, de Pontiniaco venit Viceliacum, et in die Dominicæ ascensionis, videntibus cunctis, qui ad diem festum convenerant, et populo civitatis, repente in pulpitum ascendens consuetudinum, quas in regno Anglorum avitas appellant, observatores, defensores et incentores candelis excommunicavit accensis, et inter cæteros nominatim Richardum de Luci, Richardum, archidiaconum Pictavensem, Jocelinum de Bailul, Alanum de Nevilla, et alios quamplures; sed ipsi absentes et non vocati nec convicti, ut dicebant, excommunicati, missis ad archiepiscopum legatis, appellaverunt et ecclesiam intraverunt. Sed non multo post Willelmus Papiensis et Johannes Neapolitanus, cardinales a latere summi pontificis destinati, apud Muntmirail regem Henricum et Thomam, Cantuariensem archiepiscopum, con-



vocarunt; et licet eos in partem regis archiepiscopus <sup>A.D. 1166.</sup> inclinatiores sensisset, tunc tamen in iudicium deduci ea ratione concessit, residentibus illis in consistorio, ut, secundum ecclesiæ formam, tam sibi quam suis prius fieret plena restitutio ablatorum, nec enim spoliatus iudicium subire voluit, nec cogi potuit ratione; quod cum illi nec facere vellent nec possent, infecto negotio, prædictis excommunicatis prius absolutis, ad curiam sunt reversi. Alanum vero de Nevilla absolvit Gilebertus, Londoniensis episcopus; accepto ab eo sacramento, quod in eundo Hierosolymam transiret per dominum papam et ejus pareret mandato. Eodem tempore Lodowicus, rex Francorum, venit Pontinicum; et, ne quid a rege Anglorum fieret in perniciem Cisterciensis ordinis, Thomam, Cantuariensem archiepiscopum, cui jam per biennium Pontiniacenses monachi omnem exhibuerant humanitatem, Senonas secum adduxit, et apud sanctam Columbam ei per annos quatuor sufficientiam in expensis invenit.

Per idem tempus, ad subventionem terræ sanctæ, de unaquaque carucata terræ totius Angliæ, quatuor denarii concessi sunt et collecti.

Sub eisdem diebus quidam pravi dogmatis disseminatores apud Oxoniam tracti sunt in iudicium, præsentate rege et episcopis regni; quos, a fide catholica devios et in examine superatos, facies cauteriata notabiles cunctis exposuit, qui expulsi sunt a regno.

Eodem anno Alienor, Anglorum regina, peperit filium, et vocatus est Johannes.

Eodem anno Robertus, abbas ecclesiæ sancti Albani octavus decimus, diem clausit extremum in festo apostolorum Simonis et Judæ, postquam ecclesiam præfatam annis quatuordecim magnifice gubernasset.

*Epistola beati Thomæ archiepiscopi ad regem  
Anglorum.*

Eodem tempore Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, sperans se posse regem Henricum humilitate

A.D. 1166. vincere, hanc quæ sequitur epistolam inter cætera direxit; "Desiderio desideravi videre faciem vestram et vobiscum loqui, multum quidem propter me, sed maxime propter vos, ut, visa facie mea, reduceretis ad memoriam servitia, quæ dum essem in obsequio vestro exhibui vobis devote juxta animi mei conscientiam; sic me Deus adjuvet in examine ultimo, quando omnes adstabunt ante tribunal ipsius recepturi prout gesserunt in corpore, sive bonum sive malum; et ut moveremini super me, quem oportet inter alienos vivere mendicando. Propter vos utique tribus de causis, tum quia dominus meus estis, tum quia rex meus, tum quia filius meus spiritualis; in eo quod dominus, debeo et offero vobis consilium meum, eo quod rex, teneor vobis ad reverentiam et commonitionem, eo quod filius, ratione officii ad castigationem et cohortationem. Inunguntur reges in capite, in pectore, in brachiis, quod significat gloriam, sanctitatem et fortitudinem; regibus, qui temporibus antiquis justificationes Dei non observabant et prævaricati, sunt mandata ejus, his sublata est gloria, sanctitas et fortitudo, exemplo Saulis et Salomonis, qui vero post delictum humiliaverunt se Domino, his Dei gratia accessit, sicut Davidi, Ezechiæ et aliis quampluribus. Audiat, si placeat, dominus meus consilium servi sui, commonitionem episcopi sui, castigationem patris sui, ne cum schismaticis habeat de cætero aliquam familiaritatem vel communionem, nec contrahat aliquid cum eis; memoresque sitis professionis, quam fecistis et posuistis scriptam super altare, de servanda ecclesiæ Dei libertate quando in regem consecrati fuistis. Ecclesiam etiam Cantuariensem, a qua promotionem accepistis, in eum statum restituitis et dignitatem, in quibus fuit temporibus prædecessorum vestrorum et nostrorum; alioquin pro certo sciatis, quod divinam severitatem et ultionem sentietis."

*Quod beatus Thomas episcopis habebatur suspectus.*

Eodem anno suffraganei Cantuariensis ecclesiæ epi- A.D. 1166.  
scopi, cum audissent beatum Thomam, Cantuariensem archiepiscopum, consuetudinum regni Angliæ iniquarum observatores ac defensores excommunicationis sententia innodasse, in qua tam ipsos generaliter quam dominum regem involverat, metuentes ne omnes illos, quos in genere per sententiam ligaverat, nominatim iterato specificaret, per has sequentes literas in vocem appellationis contra juris ordinem proruperunt.

“ Venerabili patri et domino Thomæ, Cantuariensi archiepiscopo, suffraganei ejusdem ecclesiæ episcopi, et personæ per eorundem dioceses constitutæ, debitam subjectionem et obedientiam. Quoniam quorundam relatione didicimus, quod ad memoriam anxie revocamus, vos in dominum regem comminationes emisisse, quo salutationem omittitis, quo non ad obtentum gratiæ consilium precesve<sup>1</sup> porrigitis, quo non amicum quid sentitis aut scribitis, sed intentatis minis interdictum, aut præcisionis elogium in eum jam dicendum fore proponitis multa severitate; quod si quam dure dictum est, tam fuerit severe completum; quæ turbata sunt, non jam speramus ad pacem redigi, sed in perenne quoddam odium pertimescimus inflammari. Insedit alte quorundam mentibus, quod dominus rex vobis tam benignus exstiterit, tamque tota<sup>2</sup> mente susceperit, et cuncta potestati vestræ adeo subjecerit, ut hos solum beatos reputaret opinio, qui in vestris poterant oculis complacere; et, ne gloriam vestram mobilitas mundana posset concutere, vos in eis, quæ Dei sunt, voluit immobiliter radicare, sperans se de cætero regnare feliciter et de consilio vestro summa securitate gaudere. Ne vero in dominum regem et

<sup>1</sup> Precise in D.| <sup>2</sup> Lata in D.

A.D. 1166. "regnum ejus, ne in nos et commissas nobis ecclesias  
 " et parochias manum vestram aggravare tentetis, re-  
 " medium appellationis vobis opponimus, et qui contra  
 " metum gravaminum in facie ecclesiæ appellavimus,  
 " iterato nunc ad papam appellamus per scriptum, et  
 " appellationis terminum diem ascensionis Dominicæ  
 " assignamus."

*Epistola beati Thomæ, Cantuariensis archiepiscopi,  
 ad episcopos suffraganeos suos.*

"Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, suffraganeis  
 " suis. Fraternitatis vestræ scriptum, quod tamen de  
 " communi vestro consilio non credimus emanasse,  
 " nuper suscepimus, cujus continentia plus habet<sup>1</sup>  
 " mordacitatis quam solatii; et utinam magis emissum  
 " esset de caritatis effectu, quam de obedientia volun-  
 " tatis! Dico vobis, salva pace vestra, quod multo  
 " tempore silui, exspectans si forte inspiraret vobis  
 " Deus ut resumeretis vires, qui conversi estis retror-  
 " sum in die belli, si saltem aliquis ex vobis as-  
 " cenderet ex adverso, et opponeret se murum pro  
 " domo Israel, et certamen iniret contra eos, qui non  
 " cessant quotidie exprobrare agmini Dei; sed non  
 " est qui ascendit. Judicet ergo Deus inter me et  
 " vos, et requirat ecclesiæ confusionem de manibus  
 " vestris, quam, velit nolit mundus, necesse est in  
 " verbo stare Dei, in quo fundata est, donec venit  
 " hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.  
 " Exciditne a memoria vestra quid ageretur mecum  
 " et cum ecclesia Dei apud Norhamptonam, cum  
 " iterum judicaretur Christus in persona mea ante  
 " tribunal præsidis, cum arctaretur præsul Cantua-  
 " riensis ob injurias sibi et ecclesiæ Dei passim illatas  
 " et cogeretur Romanam audientiam appellare? Quis

<sup>1</sup> Habere in D.

“ unquam vidit vel audivit Cantuariensem archiepiscopum <sup>A.D. 1166.</sup>  
 “ copum judicari, condemnari <sup>1</sup> ad fidejussionem in  
 “ curia regis, et a suis præcipue suffraganeis? Si nobis  
 “ recedentibus, ut dicitis, turbata sunt omnia, sibi  
 “ imputet qui occasionem dedit; quia facientis procul  
 “ dubio culpa est et non recedentis, persequentis et  
 “ non injurias declinantis. Nobis adhuc in curia ex-  
 “ spectantibus si nobis aliquid forte opponeretur, in-  
 “ terdictum est officialibus nostris, ne nobis in tem-  
 “ poralibus vel in modico obedirent, vel citra mandatum  
 “ regis, vel nobis vel nostris aliquid ministrarent;  
 “ proscripti sunt clerici nostri cum laicis, viri cum  
 “ mulieribus, mulieres cum parvulis lactantibus; ad-  
 “ dicta sunt fisco bona ecclesiæ et patrimonium Cru-  
 “ cifixi, pars pecuniæ conversa est in usus regios, pars  
 “ in usus episcopi Londoniensis. Appellatis, ut dicitis,  
 “ sed hac appellatione auctoritatem nostram sus-  
 “ pendere non potestis, ne in vos aut ecclesias vestras  
 “ animadvertamus, si delicti enormitas id requirat;  
 “ scimus enim, quod omnis appellans aut suo nomine  
 “ appellat, aut alieno; si suo, aut a gravamine quod  
 “ ei infertur, vel quod sibi timet inferri. Certum  
 “ tenemus per gratiam Dei, quod nullum gravamen  
 “ adhuc vobis per nos illatum est, unde debeatis ad  
 “ appellationis remedium convolare; si contra metum  
 “ gravaminum appellastis, ne quid de cætero contra  
 “ vos statuam vel ecclesias vestras, non est ista talis  
 “ appellatio, quod possit vel debeat suspendere auc-  
 “ toritatem meam aut potestatem, quam in vos habe-  
 “ mus et ecclesias vestras; si domini regis nomine  
 “ appellastis, nosse debuerat discretio vestra, quod  
 “ introductæ sunt appellationes ad propulsandam in-  
 “ juriam et non ad inferendam, ad sublevandos <sup>2</sup>  
 “ oppressos et non amplius opprimendos; si vero qui  
 “ subvertit ecclesiæ libertates, qui bona ejus occupat

---

<sup>1</sup> Cogerî inserted in D.

| <sup>2</sup> Sullendos in C.

A.D. 1166. " et invadit, appellans non auditur, multo minus pro  
 — " eo appellantes. Non ideo hoc dicimus, quod circa  
 " domini regis personam vel regnum ejus, vel circa  
 " personas et ecclesias vestras quicquam inordinate  
 " fecerimus vel facturi sumus; unde credebamus a  
 " vobis pro longa patientia magis debere culpari,  
 " quam de severitatis rigore condemnari. Inde est,  
 " quod breviter vobis dicimus et constanter affirma-  
 " mus, dominum nostrum regem nullatenus injuste  
 " fore gravatum, si adversus eum a domino papa et  
 " a nobis sæpissime ac legitime conventum et satis-  
 " facere nolentem processerit severitatis censura." In  
 eisdem sane literis Gileberto, Londoniensi episcopo, in  
 virtute obedientiæ præcepit archiepiscopus, quatenus,  
 infra dies quadraginta post literarum susceptionem, de  
 ecclesiis ac beneficiis clericorum ejus, qui cum eo et  
 pro eo proscripti fuerunt a regno, et quæ in custodia  
 ejusdem episcopi sunt per mandatum regis, quicquid  
 inde percepit, vel in usus ecclesiæ suæ conversum est,  
 remota omni occasione et dilatione, infra tempus præ-  
 nominatum in integrum sibi restituere non omittat.  
 Episcopus autem, cum hujusmodi literas suscepisset,  
 regi Anglorum scripsit sub hac forma;

*Literæ episcopi Londoniensis ad regem Henricum.*

" Placuit excellentiæ vestræ, quod ecclesiæ cleri-  
 " corum archiepiscopi, quæ in episcopatu Londoniensi  
 " sive in Cantia consistunt, sub nostra essent custo-  
 " dia constitutæ; quod onus nos mera, Deus scit,  
 " caritate suscepimus, ut, si forte eosdem clericos con-  
 " tingeret ad gratiam vestram redire, indemnes eis  
 " conservaremus. Archiepiscopus autem in insidiis  
 " sedens adversus meam specialiter personam occa-  
 " siones quærit, et inde mihi nocere nititur, unde aliis  
 " prodesse studebam; qui, directis literis, in virtute  
 " obedientiæ præcepit, ut, quicquid ex eis suscepissem,

‘ sibi suisque clericis restituere non omitterem. Hinc A.D. 1166.  
 “ est quod vestræ sublimitati supplico, ut custodiam  
 “ ecclesiarum prædictarum alii, prout expedire videri-  
 “ tis, committatis; pecunia vero, quam inde recepi,  
 “ ad summam centum et octo librarum et quatuor-  
 “ decim solidorum sexque denariorum se extendit,  
 “ quam peto liceat mihi penes aliquem sub tuto re-  
 “ ponere, donec Dominus judicaverit ad quem res ista  
 “ exitum debeat pervenire.”

*Litteræ Alexandri papæ ad Thomam, Cantuariensem  
 archiepiscopum.*

Anno Domini MCLXVII. Alexander papa Thomæ, A.D. 1167  
 Cantuariensi archiepiscopo, scripsit in hæc verba;  
 “ Prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Paschalis et  
 “ Eugenii Romanorum pontificum vestigiis inhærentes,  
 “ tam tibi quam tuis legitimis successoribus Cantuari-  
 “ ensis ecclesiæ primatum ita plene concedimus, sicut a  
 “ Lanfranco et Anselmo aliisque ipsorum prædecessori-  
 “ bus constat fuisse possessum. Quicquid etiam digni-  
 “ tatis sive potestatis eidem sanctæ Cantuariensi ecclesiæ  
 “ pertinere dignoscitur præsentis scripti pagina confir-  
 “ mamus, sicut a temporibus beati Augustini prædeces-  
 “ sores tuos habuisse apostolicæ sedis auctoritate con-  
 “ stat.”

Eodem anno Robertus, Lincolniensis episcopus, vir  
 magnæ humilitatis, migravit ad Dominum septimo  
 kalendas Februarii mensis.

Eodem anno Simon, prior ecclesiæ sancti Albani, die  
 Dominicæ ascensionis in abbatem ejusdem ecclesiæ  
 electus a Gileberto, Londoniensi episcopo, ante majus  
 altare illius cœnobii est solemniter consecratus.

Eodem itaque<sup>1</sup> tempore effecti sunt discordes reges  
 Francorum et Anglorum, unde Calvus-mons Gizortio

---

<sup>1</sup> Utique in D.

A.D. 1167. vicinus succensus est a Normannis, capti sunt ibi milites multi et cives; sed in illius rei ultionem rex Francorum villam Andeliaci combussit, et ipsa die reversus in Franciam plusquam mille de suis in itinere amisit, et non multo post in pago Perticensi milites multi de gente Francorum capti sunt a Normannis.

*Litteræ regis Henrici ad Reginaldum, Coloniae archiepiscopum.*

A.D. 1168. Anno Domini MCLXVIII. Henricus, rex Anglorum, motus contra papam Alexandrum ex hoc quod Thomæ, Cantuariensi archiepiscopo, primatum regni Angliæ concessisset, Reginaldo, schismatico Coloniaensi archiepiscopo et hosti papæ publico, literas in hæc verba direxit:

“Diu desideravi justam habere occasionem recedendi  
 “ a papa Alexandro et a perfidis cardinalibus ejus, qui  
 “ proditorem meum Thomam, Cantuariensem archiepi-  
 “ scopum, contra me manutenebant præsumunt; unde cum  
 “ consilio baronum meorum et cleri, magnos viros de  
 “ regno meo, archiepiscopum scilicet Eboracensem, epi-  
 “ scopum Londoniensem, archidiaconum Pictavensem,  
 “ Richardum de Luci, Johannem de Oxonia, Romam  
 “ missurus sum, qui publice denuntiabunt, et manifeste  
 “ ex parte mea et totius regni Angliæ et omnium alia-  
 “ rum terrarum quas habeo, proponent papæ Alexandro  
 “ et cardinalibus ejus, ne ulterius proditorem meum  
 “ manuteneant, sed ita liberent me ab eo, ut alium pos-  
 “ sim cum consilio cleri instituere in ecclesia Cantuari-  
 “ ensi; denuntiabunt etiam, quod quicquid Thomas fecit  
 “ in irritum revocent. Hoc etiam postulabunt, ut coram  
 “ eis papa jurari faciat publice, quod ipse et successores  
 “ sui et mihi et omnibus meis regias consuetudines  
 “ Henrici regis avi mei inconcussas et inviolatas, quan-  
 “ tum ad se, in perpetuum conservabunt. Quod si forte  
 “ alicui petitionum mearum contradicere voluerint, neque



“ ego, neque barones mei, neque clerus meus aliquam eis A.D. 1168:  
 “ ulterius servabimus obedientiam, immo ipsum papam  
 “ et omnes suos manifeste impugnabimus, et quicumque  
 “ in terra mea inventus fuerit, qui papæ post hæc adhæ-  
 “ rere voluerit, expelletur a regno. Ea propter rogamus  
 “ vos, ut carissimum amicum, quatenus fratrem Ernaldum  
 “ Hospitalarium, omni occasione remota, cito ad nos  
 “ mittatis, qui ex parte imperatoris et vestra prædictis  
 “ nuntiis meis ducatum præbeat in eundo<sup>1</sup> per terram  
 “ imperatoris; Valete.”

Dictum est autem a clericis et notariis domini regis, quod ad ejus petitionem has literas dictaverat Gilebertus, Londoniensis episcopus, in perniciem domini papæ et Thomæ, Cantuariensis archiepiscopi, et ecclesiæ Anglicanæ; unde contigit, quod nocte quadam, dum idem Gilebertus jaceret in strato suo, et studeret circa confusionem archiepiscopi puram conscientiam habentis, et tenorem literarum nihil præter iniquitatem continentium, audivit vocem valde terribilem desuper emissam sibi aperte dicentem “ O Gileberte Foliot, dum  
 “ revolvis tot et tot, Deus tuus est Astarot.”

*Literæ Alexandri papæ ad Gilebertum, Londoniensem episcopum.*

Eodem tempore dominus papa Alexander scripsit Gileberto, Londoniensi episcopo, pro negotio Cantuariensis ecclesiæ, in hæc verba:

“ A memoria tua non credimus excidisse, qualiter  
 “ carissimus in Christo filius vester Henricus, illustris  
 “ rex Anglorum, multa a nobis olim precum instantia  
 “ requisivit, ut ab Herefordensi ecclesia, cui præemi-  
 “ nebas, de te in Londoniensem ecclesiam translationem  
 “ fieri pateremur. Ut autem suæ petitioni nostrum

<sup>1</sup> Et redeundo inserted in C.

A.D. 1168. " super hoc impertiremur assensum, necessitatem im-  
 " minentem pariter et utilitatem proponebat, asserens  
 " quod civitas illa quasi regia sedes existeret; et, quia <sup>1</sup>  
 " te religionis et discretionis virtute crederet præemi-  
 " nere, consilio tuo super his, quæ saluti animarum  
 " expedirent et ad regni augmentum pariter et conser-  
 " vationem spectarent, temporaliter et spiritualiter uti  
 " volebat, et ideo magis proximum te desiderabat ha-  
 " bere. Unde attendentes quam utiliter prudentia et  
 " religio tua saluti ejusdem regni posset consulere, et,  
 " quanta ex ea valeat commoditas provenire, libenter  
 " suis precibus adquevimus et te concessimus in Lon-  
 " doniensi ecclesia promoveri; unde quanto benignius  
 " ejus beneplacitum et voluntatem complevimus et  
 " tuæ pariter exaltationi intendimus et honori, tanto  
 " probitas tua circa incrementum et conservationem  
 " ecclesiæ amplius deberet eniti et attentius circa hoc  
 " laborare, ut fructum, quem idem rex nobis proposuit,  
 " et nos speramus, exhibitione operis et ipsa rerum  
 " experientia cognoscamus. Quomodo autem rex præ-  
 " dictus a devotione ecclesiæ, ab eo quod <sup>2</sup> solebat,  
 " animum avertit, et jam <sup>3</sup> in multis, sicut in appella-  
 " tionibus constat et visitationibus nostris, communi-  
 " cando etiam excommunicatis nominatim et schisma-  
 " ticus, et confœderando se eis, et in eo etiam, quod  
 " venerabilem fratrem nostrum Thomam, Cantuariensem  
 " archiepiscopum, de regno suo exire coegerit, quasi  
 " persequi et impugnare videtur, te non credimus  
 " ignorare. Quapropter sollicitudinem tuam rogamus,  
 " monemus atque mandamus, quatenus, adjuncto tibi  
 " venerabili fratre nostro R. Herefordensi episcopo,  
 " eundem regem sollicite commoneas et studiosa ex-  
 " hortatione inducas, ut, hujus[modi] proposito prorsus  
 " relicto, in eo quod excessit, sicut dignum est, satis-

---

<sup>1</sup> Cum inserted in D.

<sup>2</sup> Qui in D.

<sup>3</sup> Eam in D.

“ faciat, a pravis actibus omnino desistat, Creatorem A.D. 1168.  
 “ suum puro corde diligat, matrem suam Romanam  
 “ ecclesiam solita veneratione respiciat, nec eam visi-  
 “ tare volentes inibeat, appellationes ad eam factas  
 “ nullo modo impediatur, et prædictum fratrem nostrum  
 “ Thomam, Cantuariensem archiepiscopum, ad sedem  
 “ suam benignius revocans<sup>1</sup> et reducens in beati Petri  
 “ et nostra reverentia firmus immobilisque consistat  
 “ et ad opera misericordiæ ac pietatis intendat, ut Ille,  
 “ per quem reges regnant, temporale sibi regnum con-  
 “ servet in terris et sempiternum largiatur in caelis.  
 “ Et nisi ista maturius correxerit, timendum sibi erit,  
 “ ne et Deus ei pro hiis omnibus graviter irascatur,  
 “ et in eum et in suos debeat gravius vindicare, et  
 “ nos ipsi id non poterimus diutius in patientia susti-  
 “ nere; nec ista<sup>2</sup> pro nobis quantum pro ejus salute  
 “ proponimus, cujus gloriam et honorem totis affectibus  
 “ exoptamus.”

*Rescriptum episcopi Londoniensis Gileberti ad papam  
 Alexandrum, nimis præsumptuosum.*

“ Mandatum vestrum, pater in Christo carissime,  
 “ debita veneratione suscipientes, illico filium vestrum  
 “ carissimum illustrem Anglorum regem adivimus, et  
 “ adjuncto nobis venerabili fratre nostro R. Hereford-  
 “ ensi episcopo, juxta vestri formam mandati diligenter  
 “ convenimus; cui singula, quæ vestris nobis expressa  
 “ sunt literis, ante oculos ponentes, ipsum obsecrando,  
 “ et, quantum regiam decebat<sup>3</sup> majestatem, arguendo,  
 “ constanter et instanter hortati sumus, ut propositis  
 “ sibi satisfaceret, et, si a rationis tramite deviaverat  
 “ ad viam veritatis et justitiæ redire nostra per nos  
 “ revocatus admonitione<sup>4</sup> non tardaret, et ut a patre  
 “ pie commonitus a pravis actibus omnino desisteret,

<sup>1</sup> Revocatis in D.

<sup>2</sup> Ita in C.

<sup>3</sup> Docebat in D.

<sup>4</sup> Admonitionem in D.

A.D. 1168. " Deum puro corde diligeret, matrem suam sanctam  
 " Romanam ecclesiam solita veneratione respiceret, nec  
 " eam visitare volentes inhiberet, appellationes ad eam  
 " factas non impediret, et patrem nostrum dominum  
 " Cantuariensem archiepiscopum benigne revocans et  
 " reducens in beati Petri et vestra reverentia  
 " firmus immobilisque persisteret, et pietatis intendens  
 " operibus ecclesias et ecclesiasticas personas non gra-  
 " varet, [nec] per se nec per alium gravari permit-  
 " teret, ut Ille, per quem reges regnant, temporale sibi  
 " regnum conservaret in terris et æternum sibi largi-  
 " retur in caelis; alioquin, nisi monitis salubribus ad-  
 " quiesceret, sanctitas vestra, quæ huc usque patienter  
 " sustinuit, ulterius in patientia sustinere non posset.  
 " Ipse vero correctionem nostram multa gratiarum  
 " actione suscipiens multaque animi modestia conse-  
 " quenter ad singula respondit; in primis asserens,  
 " mentem suam a vobis se nullatenus avertisse, nec  
 " id unquam mentis proposito concepissem, quin, dum  
 " paternam sibi gratiam exhibueritis, vos ut patrem  
 " diligat et sanctam Romanam ecclesiam veneretur et  
 " foveat, et sacris jussionibus vestris, salva sibi sua  
 " regnique sui dignitate, humiliter obtemperet et obe-  
 " diat; quod si vos jam aliquandiu non respexit  
 " solita reverentia, hanc hujus rei causam asserit  
 " esse, quod, cum vobis in necessitate toto corde, tota  
 " mente, totis viribus adstiterit, sibi postmodum in  
 " necessitate per nuntios recurrenti ad vos digne pro  
 " meritis vestra sanctitas non respondit, sed in omni  
 " fere petitione sua se repulsam sustinuisse conqueritur  
 " et erubescit. De paterna confisus gratia, quæ filium,  
 " cum volet, exaudit, vultus sperans et exspectans  
 " lætiores, in beati Petri et vestra, ut dictum est,  
 " fidelitate immobili constantia perseverat; id est,<sup>1</sup>  
 " quod sanctitatem vestram visitare volentem nullum  
 " prorsus impediet, sed nec, ut asserit, hactenus im-

---

<sup>1</sup> Wanting in D.

“ pedivit. <sup>1</sup> In appellationibus, ex antiqua regni sui A.D. 1168.  
 “ consuetudine, id sibi in eis vendicat et honoris, ut  
 “ ob civilem causam nullus clericorum regni sui, nisi  
 “ fines exeat <sup>2</sup> an ipsius auctoritate et mandato jus  
 “ suum obtinere queat prius experiendo cognoscat;  
 “ quod si nec sic obtinuerit, excellentiam vestram,  
 “ ipso in nullo reclamante, cum volet quilibet appella-  
 “ bit; in quo, si juri vestro vel honori præjudicatur in  
 “ aliquo, id se totius ecclesiæ regni sui consilio cor-  
 “ rectorum in proximo, juvante Domino, pollicetur.  
 “ Imperatorem illum, etsi schismaticum noverit, a  
 “ vobis tamen excommunicatum esse, usque hodie non  
 “ rescivit; quod si denuntiatione vestra resciverit, si  
 “ foedus illicitum cum ipso vel quolibet alio iniit, et  
 “ hoc ecclesiæ regni sui iudicio simul et consilio se  
 “ correcturum promittit. Patrem nostrum Cantuari-  
 “ ensem archiepiscopum a regno suo se nequaquam  
 “ expulisse asserit, unde <sup>3</sup> sicut ultroneus recessit, sic  
 “ ad ecclesiam suam, cum sibi sederit animo, plena  
 “ pace reverti sibi liberum erit, dum tamen in satisfaci-  
 “ endo sibi super hiis unde conqueritur, regias sibi,  
 “ in quas juratus est, dignitates velit integre conser-  
 “ vare; siqua vero ecclesiastica persona vel ecclesia  
 “ ab ipso vel a suis se gravatam ostenderit, satisfac-  
 “ tioni plenæ totius ecclesiæ iudicio paratus erit. Hæc  
 “ a domino nostro rege in responsis accepimus, qui  
 “ causam suam plurimum sibi justificare videtur, cum  
 “ in omnibus, quæ dicta sunt, ecclesiæ et <sup>4</sup> regni sui  
 “ iudicio se paritum promittit. Unde vestræ sup-

<sup>1</sup> *In appellationibus.*] The corrupt passage following should be read thus: “In appellationibus ex antiqua regni sui institutione id sibi vindicat honoris et oneris, ut ob civilem causam nullus clericorum regni sui ejusdem regni fines exeat, nisi an ipsius aucto-

“ ritate et mandato jus suum ob-  
 “ tinere queat, experiendo cog-  
 “ noscat;” Chron. Rog. de Hoveden, ed. Stubbs, vol. i., p. 246.

<sup>2</sup> Nisi inserted in C.

<sup>3</sup> Wanting in C.

<sup>4</sup> Wanting in C.

A.D. 1168. " plicandum existimamus excellentiæ, quatenus illud  
 " præ oculis habentes calamum quassatum non con-  
 " teres, linum fumigans non exstingues, zelum illum  
 " sanctum, qui ad ulciscendam omnem ecclesiæ Dei  
 " injuriam succensus est, si placet, ad tempus intra  
 " fines modestiæ cohibeatis, ne vel interdicti senten-  
 " tiam, vel ultimum illud præcisionis elogium pro-  
 " ferendo, ecclesias innumeras subverti misere doleatis,  
 " et tam regem ipsum quam innumeros cum eo popu-  
 " los a vestra, quod absit, obedientia irrevocabiliter  
 " avertatis; sanguis regius tum se demum permittit  
 " vinci cum vicerit, nec verecundatur cedere cum  
 " superaverit. Inspienter attamen in caritate non  
 " ficta sic loquimur; sed si hic rei finis exstiterit, ut,  
 " amissis omnibus, dominus Cantuariensis exilium jure  
 " sustineat, et vestris, quod absit, mandatis ulterius  
 " Anglia non obediat, fuisset satius patienter ad  
 " tempus sustinuisse, quam tanto severitatis zelo de-  
 " servisse. Quid enim si plures e nobis ab obedientia  
 " vestra persecutio separare non poterit, non deerit  
 " tamen qui genua curvet ante Baal, et de manu idoli  
 " pallium Cantuariense<sup>1</sup> non habito religionis delectu,<sup>2</sup>  
 " suscipiat, nec deerunt qui sedes nostras occupantes  
 " et cathedris nostris<sup>3</sup> insidentes ipsi tota mentis  
 " devotione obediant. Jam multi prognosticant ad  
 " talia, optantes ut veniant scandala, et directa po-  
 " nantur in prava; unde, pater sanctissime, non pro-  
 " pria plangimus aut ploramus incommoda, sed, nisi  
 " his malis celerius occurratis, fœdam ecclesiæ Dei sub-  
 " versionem pertimescimus, ne citius, ob vitæ tædium,  
 " optemus periisse diem in quo nati sumus."

Eodem anno Thomas, Cantuariensis archiepiscopus,  
 Alanum de Nevilla excommunicavit, quia Willelmum  
 capellanum suum vinculis tenuit irretitum.

<sup>1</sup> Cantuariensem in D.

<sup>2</sup> Delictu in D.

<sup>3</sup> Cathedras nostras in D.

Eodem utique tempore Conanus, minoris Britanniae A.D. 1168. comes, dum in fata concederet, ex sorore regis Scotorum, Constantia nomine, filiam reliquit hæredem, quam rex Anglorum Henricus Gaufrido filio suo uxorem accipiens et in pace statuenda passim per Britanniam studiosus existens, animo clerum terræ illius sibi conciliavit et populum.

*Litera Alexandri papæ ad regem Henricum pro  
reconciliatione beati Thomæ.*

Anno Domini MCLXIX. papa Alexander regi Anglo- A.D. 1169. rum pro negotio Cantuariensis ecclesiæ scripsit in hæc verba :

“ Quam paterne et quam benigne regiam sæpius  
“ excellentiam convenerimus et per literas ac nuntios  
“ frequentius exhortati fuerimus, ut venerabilem fra-  
“ trem nostrum Thomam, Cantuariensem archiepisco-  
“ pum, tibi reconciliare deberes, et sibi et<sup>1</sup> suis  
“ ecclesias cum cæteris ablatiis restituere, sublimitatis  
“ tuæ prudentia non ignorat, cum id toti fere Chris-  
“ tianitati publicum et manifestum existat; unde quo-  
“ niam in hoc hucusque minime proficere potuimus,  
“ nec animi tui motum blandis ac lenibus emollire,  
“ tristes efficimur et dolentes, et nos sæpe hac fiducia  
“ nostra frustrati dolemus; præsertim cum te sicut  
“ carissimum filium sincerius in Domino diligamus,  
“ cui in hoc grave periculum imminere videmus; et  
“ quoniam scriptum est, ‘ Clama, ne cesses, quasi tuba  
“ ‘ exalta vocem tuam et annuntia populo meo scelera  
“ ‘ eorum,’ duritiam tuam, sicut hactenus, contra justi-  
“ tiam et salutem vestram non duximus ulterius sup-  
“ portandam, nec præfato archiepiscopo os de cætero  
“ aliqua ratione claudemus, quin officii sui debitum

---

<sup>1</sup> Ac in C.

A.D. 1169. "libere exsequatur, et suam et ecclesiæ sibi commissæ injuriam ecclesiasticæ severitatis gladio ulciscatur."

Item domino Cantuariensi idem papa literas direxit sub hac forma; "Quoniam regem Anglorum diutius in patientia et benignitate exspectavimus, et blandis dulcibusque verbis, et interdum duris et asperis, ut ad semetipsum rediret sæpe monuimus, si tibi ac tuis et ecclesiæ tuæ possessiones et honores ablatos non restituerit, tibi plenam auctoritatem concedimus, ut in personas et ecclesias, quæ ad tuam pertinent jurisdictionem, excepta regis persona uxorisque ejus et filiorum suorum, ecclesiasticam justitiam exercentis, nullius appellationis obstaculo prohibente; providentia tamen et circumspectione adhibita, quam modestia sacerdotalis requirit."

Eodem tempore Gilebertus, Londoniensis episcopus, Dominica prima Quadragesimæ, ad declinandam sententiam Thomæ, Cantuariensis archiepiscopi, convocato clero civitatis et populo in ecclesia sancti Pauli, Romanæ sedis audientiam appellavit; fuerat enim sæpe ab eodem archiepiscopo commonitus, ut clericis suis ecclesias et beneficia, quæ in manu sua ex traditione regis tenebat, restitueret cum bonis inde perceptis; sed quoniam in his et in aliis præceptis canonicis inobediens perseveravit, archiepiscopus super appellatione sua minime certioratus, in die Palmarum, ipsum, ut regiis iniquis consuetudinibus faventem, apud Claramvallem solemniter excommunicavit et literas ei sequentes direxit;

*Quod Thomas Cantuariensis Gilebertum, Londinensem episcopum, excommunicavit.*

"Thomas, Dei gratia Cantuariensis archiepiscopus  
 "et apostolicæ sedis legatus, Gileberto, Londoniensi  
 "episcopo, utinam vero fratri, declinare a malo et



“ facere bonum. Excessus vestros dum licuit sup- A.D. 1169.  
 “ portavimus, et utinam mansuetudo patientiæ nostræ,  
 “ quæ nobis supra modum damnosa exstitit, in totius  
 “ ecclesiæ perniciem non redundet; sed quoniam pa-  
 “ tientia nostra semper abusi estis, neque dominum  
 “ papam neque nos in verbo salutis vestræ voluistis  
 “ audire, sed obduratio vestra semper in deteriora  
 “ excrevit, vos, urgente necessitate officii et ratione  
 “ juris id persuadente, ex justis et manifestis causis  
 “ anathematis sententia percellentes, excommunicavi-  
 “ mus, et a corpore Christi, quod est ecclesia, donec  
 “ condigne satisfaciatis, amputavimus; præcipimus ergo  
 “ in virtute obedientiæ et in periculo salutis, digni-  
 “ tatis et ordinis, quatenus, prout ecclesiæ forma præ-  
 “ scribit, ab omnium communione fidelium abstineatis,  
 “ ne vestra participatio Dominicum gregem contaminet  
 “ ad ruinam, qui vestra doctrina erudiendus et exem-  
 “ plis reformandus erat ad vitam.” Episcopus vero  
 Londoniensis, licet post appellationem sententia in  
 ipsum lata fuisset, mandatum archiepiscopi humiliter  
 perferens ab ingressu ecclesiæ abstinuit patienter;  
 archiepiscopus vero decano et clero Londoniensis ec-  
 clesiæ literas dirigens præcepit in virtute obedientiæ,  
 ut a communione sui episcopi penitus abstinerent.

Eodem anno Alienor, filia regis Angliæ, nupsit  
 Aldefonso, regi Castellæ.

*Literæ regis ad Gilebertum, episcopum Londoniensem.*

Per idem tempus, cum rumor de excommunicatione  
 Gileberti, Londoniensis episcopi,<sup>1</sup> ad aures regis Anglo-  
 rum, eodem episcopo illi significante, pervenisset, scripsit  
 ei literas consolatorias in hæc verba; “ Audivi gravamen,  
 “ quod ille Thomas proditor et adversarius meus intulit  
 “ in te et in alias personas regni mei, quod non minus

---

<sup>1</sup> Wanting in C.

A.D. 1169. "ægre fero de persona tua, quam si in meam propriam personam virus suum evomisset, et ideo pro certo scias, quod ego omnem operam dabo per dominum papam et per regem Francorum et per omnes amicos meos, quod de cætero non poterit<sup>1</sup> nobis nec regno nostro nocere; unde volo et consulo, quod tu interim nullo modo in animo tuo turberis,<sup>2</sup> pro certo sciturus,<sup>3</sup> quod, si Romam adire volueris, omnia necessaria ad viam de meo tibi honorabiliter et sufficienter inveniam."

*Quod legati a papa mittuntur ad pacem reformandam inter regem et beatum Thomam, Cantuariensem archiepiscopum.*

Eodem anno missi sunt duo legati a latere summi pontificis, Vivianus et Gratianus, ut pacem inter regem Angliæ et archiepiscopum Cantuariensem reformarent; sed quorum erat potestas æqualis, eos varius disjungebat affectus, nec finis potuit invenire concordem, qui ab initio vota susceperant tam diversa; sed sicut penes regem Gratianus gratiam non invenit, sic nec apud archiepiscopum Vivianus. Cum igitur de pace tractaturi in Normannia apud Baiocas se regis et archiepiscopi conspectibus præsentarent, et post tractatus immensus pax esse in januis ab omnibus crederetur, literas illis direxit Willelmus, Senonensis archiepiscopus, in quibus continebatur, ne sine ipsius conscientia, sicut a domino papa in mandatis acceperant, in reconciliatione procederent faciendam. Sic duo legati, infecto negotio, a regis curia recesserunt; noluit enim rex cum archiepiscopo aliqua ratione componere, nisi salvis sibi consuetudinibus iniquis

<sup>1</sup> Pertinebit in C.

<sup>2</sup> Turbetis in D.

<sup>3</sup> Secturus in D.

regni sui et dignitatibus, quod etiam ipsis legatis A.D. 1169. quasi nefas videbatur.

*Literæ regis Henrici ad papam Alexandrum.*

Eodem anno Gilebertus, Londoniensis episcopus, transfretavit, suam domino papæ exhibiturus præsentiam et causas appellationis redditurus; quo veniente ad regem Anglorum in Normanniam, tractare cœperunt communiter, quomodo beatum Thomam, Cantuariensem archiepiscopum, dolo circumvenirent et causam ejus justissimam in conspectu summi pontificis denigrarent. Tandem in hoc consenserunt, ut rex Romam mitteret solennes nuntios cum literis ipsius, in quibus expresse domino papæ denuntiaret, quod, nisi superbiam Thomæ, Cantuariensis archiepiscopi, severitatis pede contereret, ipse et omnes barones Angliæ cum viris ecclesiasticis ab ejus obedientia recederent; literarum autem tenor hic erat, quas domino papæ transmisit:

“ Vestræ, pater, satis innotescit serenitati, quanta  
 “ me et terram meam affligit molestia, quantis me  
 “ vexaverit injuriis, Thomas ille adversarius meus,  
 “ cum, teste conscientia, nihil meruerim, nil gesserim  
 “ tanta contumelia dignum. Nunc autem innumeris  
 “ præcedentibus novam adjecit injuriam, qui affligere  
 “ non desinit innocentem; vestra siquidem fultus  
 “ auctoritate, ut asserit, devotos et fideles ecclesiæ  
 “ Romanæ filios Londoniensem et Saresberiensem epis-  
 “ copos, cum quibusdam familiaribus meis, anathematis  
 “ sententia innodavit, nullam adversus eos habens  
 “ rationabilem causam. Hoc autem quam sit mihi  
 “ intolerabile, quamque famæ meæ et vestræ generet  
 “ læsionem, vestræ credo non incognitum prudentiæ;  
 “ videtur mihi etiam, quod me quasi derelictum pro-  
 “ jecerit paternitas vestra, cum ad ignominiam meam  
 “ augmentum flagitiosum in me grassari permittit

A.D. 1169. " inanicum, nec reprimit injuriarum vehementiam  
 " paternæ correctionis moderatio. Vestram igitur  
 " obsecro suppliciter et adjuro, ut justum est, celsi-  
 " tudinem, ut, quem filio debetis, operis exhibitione  
 " monstretis affectum, et illatam mihi et personis  
 " meis et terræ meæ injuriam absque tardatione  
 " emendare dignemini, et quicquid adversarius meus  
 " contra juris ordinem contra me et personas regni  
 " mei, clericos et laicos, statuit, irritum habeatis et  
 " vacuum; petitionibus enim, quas paternitati vestræ  
 " porrigimus, assensum de jure præbere tenemini,  
 " maxime cum petitionibus vestris, quas mihi nuntii  
 " vestri Vivianus scilicet et Gratianus proponebant,  
 " quatenus sæpe fato archiepiscopo Cantuariensi ar-  
 " chiepiscopatum suum et amorem nostrum reddere-  
 " mus, nos, postposito honore nostro, concessimus  
 " coram ipsis legatis et octo archiepiscopis et episco-  
 " pis et abbatibus multis, licet ille absque conscientia  
 " nostra et coactione aliqua a regno exierit, ut bene  
 " et in pace rediret, et omnes possessiones suas habe-  
 " ret sicut habuit quando a regno exivit, et omnes  
 " qui cum eo vel pro eo exierunt, salvis dignitatibus  
 " regni nostri; serenitatem igitur vestram obnixe  
 " rogamus, quatenus attente consideretis honorem et  
 " utilitatem, quam vobis et curiæ vestræ contulimus  
 " et in futurum, nisi per vos steterit, conferemus,  
 " et sic rem hanc ita temperare velitis, ne illius per-  
 " fidi proditoris nostri malitiosæ blanditiæ simplici-  
 " tatem nostram circumveniant, sed juxta petitionem  
 " nostram eos, qui excommunicati sunt, absolvatis, et,  
 " ne in alios venenum excommunicationis effundere  
 " valeat, provideatis, ne, si minus in hac justa peti-  
 " tione exauditi fuerimus, tanquam de benevolentia  
 " vestra desperantes aliter securitati nostræ pros-  
 " picere compellamur; et, quoniam singula negotia  
 " nostra difficile sub scripto comprehenduntur, mitti-  
 " mus ad pedes paternitatis vestræ clericos nostros

“ familiares R. archidiaconum Saresberiensem et R. A.D. 1169.  
 “ Barie,<sup>1</sup> qui plenius vobis cuncta quæ gesta sunt  
 “ et alia negotia nostra exponent.”

*Quod nuntii regis causam beati Thomæ plurimum  
 depresserunt.*

Nuntii igitur regis ad Romanam pervenientes curiam literas ejus domino papæ cum aliis negotiis sibi impositis ostenderunt, donariis simul et blandis sermonibus summopere studentes ad favorem regium illius animum inclinare; sed quid ibi egerint nuntii, literis apostolicis, quas vicissim beato Thomæ, Cantuariensi archiepiscopo, direxit, continetur expressum. In primis literis papa eidem ita scribit;

“ Novit industria tua quam ferventem dispositionem  
 “ circa regni sui gubernationem carissimus in Christo  
 “ filius noster Henricus, illustris rex Anglorum, im-  
 “ pendat, et eandem, ut firmior habeatur<sup>2</sup> vult aucto-  
 “ ritate Romanæ ecclesiæ roborari, petens ut antiquas  
 “ regni sui consuetudines et dignitates conservemus  
 “ illæsas. Item, cum legationis officium totius Angliæ  
 “ postulasset instantius Eboracensi archiepiscopo<sup>3</sup> indul-  
 “ geri, pensantes tempora periculosa, legationis literas  
 “ præfato archiepiscopo concedendas eidem regi conces-  
 “ simus, licet, antequam inclinaremur ad consensum,  
 “ nuntii ejus nobis in verbo veritatis promiserunt et  
 “ super hoc juramentum obtulerunt, quod nunquam  
 “ sine voluntate vestra literæ Eboracensi archiepiscopo  
 “ redderentur.”

In aliis autem literis suis idem papa dedit in mandatis archiepiscopo memorato, in virtute præcipiens obedientiæ, ne in ipsum regem aut regnum ejus, vel personas regni, interdicti seu excommunicationis vel

<sup>1</sup> Barri in C.

<sup>2</sup> Eam inserted in D.

<sup>3</sup> Wanting in D.

A.D. 1169. suspensionis sententiam promulgaret, nisi idem rex in sua pertinacia perseverans ante initium Quadragesimæ sibi gratiam suam non redderet et bona omnia sibi et suis restitueret.

*De martyrio mentis beati Thomæ, Cantuariensis archiepiscopi.*

Hoc igitur tribulationis igne et mentis passione confossus Thomas confessor invictus martyrium, quod nondum suscepit in corpore, servavit in mente; videns enim illum, qui caput esse debuit ecclesiæ militantis, quod se non opposuit murum, et staret pro ea in die prælii, sed conversus est retrorsum velut aries cornua non habens, omni humano destitutus solatio ad divinum confugit auxilium, incessanter pro statu ecclesiæ orans, corpus suum in vigiliis et jejuniis macerans, pro se persequentibus et odio habentibus preces fundens, lachrymosis suspiriis Deum<sup>1</sup> sollicitare studuit, ut ecclesiam conservare dignaretur, quam redemit et proprio sanguine consecravit. Quis enim hujus viri Dei angustias et mentis poterit exprimere passiones, cujus pater et mater, fratres et sorores, nepotes et neptes, clerici et ministri pro eo sunt in exilium pulsati, et ipse, qui tam reverenda erat in ecclesia Dei persona, panem suum in terra aliena cum dolore compulsus est mendicare? Sed fortasse, quia nemo repente fit summus, hæc ejus fuerunt tormenta præcurrentia ad illius animum solidandum et perferendas injurias, quousque strictis ensibus ad martyrii gloriam pertingere mereretur, cui nondum certus fuerat locus martyrii deputatus.

---

<sup>1</sup> Wanting in C.

*Forma petitionis, quam Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, a rege postulavit.*

Eodem anno, infra octavas beati Martini, procurante A.D. 1169. summo pontifice, habitum est colloquium prope Parisius inter reges Francorum et Anglorum, ubi præsens fuit archiepiscopus Cantuariensis, sed se conspectui regis Anglorum minime præsentedavit; ubi cum diu tractatum fuisset de pace reformanda inter regem Anglorum et archiepiscopum Cantuariensem, idem archiepiscopus, per consilium regis Francorum et episcoporum et procerum qui adfuerant, petitionem suam in schedula redactam regi Anglorum transmisit hæc verba continentem; "Hoc petimus a domino nostro rege, juxta  
 " consilium et mandatum domini papæ, quatenus, pro  
 " amore Dei et domini papæ et honore sanctæ ecclesie et salute sua et hæredum suorum, recipiat nos  
 " in gratiam suam, et concedat nobis et omnibus, qui  
 " pro nobis et nobiscum exierunt de regno suo,  
 " pacem<sup>1</sup> et plenam securitatem de se et suis sine  
 " malo ingenio; et reddat nobis ecclesiam Cantuariensem<sup>2</sup> in ea plenitudine et libertate, in qua eam  
 " melius habuimus postquam facti sumus archiepiscopus, et omnes possessiones quas habuimus,<sup>3</sup> ad<sup>4</sup>  
 " habendum et tenendum ita libere et quiete et honorifice, sicut ecclesia et nos ea liberius habuimus  
 " et tenuimus, postquam in archiepiscopum promoti sumus, et similiter omnibus nostris, cum ecclesiis  
 " omnibus et præbendis ad archiepiscopatum pertinentibus, quæ vacaverunt postquam exivimus de

<sup>1</sup> Suam inserted in C.

<sup>2</sup> Wanting in C.

<sup>3</sup> From "postquam" to "habuimus" wanting in C.

<sup>4</sup> Wanting in C.

A.D. 1169. "terra, ut faciamus de eis, sicut de rebus nostris, prout nobis placuerit et nostris." Rex autem Anglorum duobus articulis non plenum præbuit assensum, non enim nomine restitutionis, cum archiepiscopum non expulerit, juxta dignitatem regni sui quicquam<sup>1</sup> solvere tenebatur, nec vacantium ecclesiarum possessiones, quas jam certis dederat personis, in irritum revocare; sed coram rege Francorum, ut asserebat, archiepiscopo satisfacere paratus erat, vel, si contendere vellet, judicium<sup>2</sup> in palatio Parisiensi subire, Gallicana ecclesia imponente partes suas, seu scholaribus diversarum provinciarum æqua lance negotium examinantibus, et ita rex Angliæ, qui prius odium in se plurimorum conflexerat, per hæc verba plurimum adeptus est favorem; itaque, mediantibus amicis, in qualemcunque concordiam convenissent rex et archiepiscopus, nisi quod rex osculum pacis dare archiepiscopo negavit, paratus omnem aliam securitatem præstare; archiepiscopus autem pacem inire noluit, nisi firma posset stabilitate gaudere.

*Quod procures Britannia Henrico regi et Gaufrido  
filio suo fidelitatem fecerunt.*

A.D. 1170. Anno Domini MCLXX. rex Anglorum Henricus in Natali tenuit curiam suam apud urbem Nanetensem, præsentibus episcopis et baronibus Britannia minoris, ubi fidelitatem omnes juraverunt sibi et filio suo Gaufrido; et in Quadragesima sequenti ad Angliam transfretavit, ipse cum omnibus suis in mari fere submersus.

---

<sup>1</sup> Quameunque in D.

| <sup>2</sup> Wanting in D.



*De absolutione Londoniensis episcopi.*

Quo etiam anno Gilebertus, Londoniensis antistes, A.D. 1170. dum Alpibus transcens Romam tenderet, apud Mediolanum veniens literas domini papæ in hæc verba suscepit; "Rothomagensi archiepiscopo et episcopo Exoniensi dedimus in mandatis ut, recepto a te juramento, quod nostro staret iudicio super his, pro quibus in te lata erat sententia, nostra te vice absolvant; ita quidem ut, pro eo quod excommunicatus fueras, nullum ordinis aut dignitatis periculum aut infamiae notam debeas sustinere." Episcopus igitur ad absolutionem aspirans apud Rothomagum in die Paschæ est solemniter absolutus.

*De vita et virtute sancti Godrici heremita.*

Eodem quoque anno venerabilis heremita Godricus ex hac luce transiens pro vita temporali commutavit æternam; de cuius vita et actibus admirandis ac fine glorioso huic historiæ vel pauca videre libet, quoniam injuriam hoc esset facere sancto, ejus opera tam præclara sub silentio præterire. Amicus Dei Godricus in pago Northfolkensi, patre Ailwardo, matre<sup>1</sup> Eadwenna, generatus, villa, quæ Walepol nuncupatur, a prædictis parentibus educatus est et ibidem cum eis aliquamdiu conversatus; ubi, puerilibus annis innocenter transactis, mercator efficitur, et, primo minoris pretii merces exercens, tandem cum sociis mercatoribus nundinas cœpit publicas exercere. Hic die quadam, cum in arenis maritimis solus ambularet, tres in sicco delphines invenit, quorum duobus<sup>2</sup> adhuc palpitantibus, tertius mortuus apparebat. Ille motus pietate viventes reliquit intactos, et de mortuo partem sumens onustus recessit; sed, fluctibus maris de more revertentibus,

<sup>1</sup> Vero inserted in C.| <sup>2</sup> Duabus in C.

U 23058,

A.D. 1170.

— primo pedes et tibias et demum abyssus caput ejus vallavit. Godricus autem fortis in fide et sub aquis diutius incedens, Domino ducente, ad siccum pervenit, et, parentibus pisce dato, cuncta quæ sibi acciderant enarravit. Solebat autem interdum<sup>1</sup> solus agens de cœlestibus meditari et orationem Dominicam cum symbolo frequentius ruminare. Sanctum Andream in Scotia orationis gratia devotus petivit, nec minori devotione ductus Romam perrexit; inde demum reversus quibusdam negotiatoribus adjunctus est et cum eis navigio aggressus est mercaturam, et sic divitias congerens unius navis dimidium et alterius quartam partem habebat. Erat autem corpore robustus et animo strenuus, unde per regiones diversas navigando loca sanctorum multa visitabat et eorum se patrocinio commendabat.

*De puella, quæ beato Godrico in peregrinatione ministravit.*

Godricus itaque, cum jam navalibus lucris sedecim annorum tempus compleverat, divitias, quas multis laboribus congregaverat, in obsequiis divinis expendere disponebat; signum itaque vivificæ crucis Hierosolymam petiturus accepit et Dominicum sepulchrum devotissime visitavit, et inde per sanctum Jacobum in Angliam remeavit. Qui iterum post aliquod temporis spatium pia devotione succendebatur,<sup>2</sup> ut apostolorum limina visitaret, et propositum suum parentibus indicavit; mater vero cum se itineris comitem futuram assereret, si liceret, filius gratanter annuit, et genitrici humiliter obsequens humeris eam portabat, quotiens asperitas itineris exigebat. Illis autem urbem Londoniensium prætergressis accessit subito mulier quædam magni decoris, et hujus peregrinationis comitem

---

<sup>1</sup> Iter in D.

| <sup>2</sup> Wanting in C.

feri humiliter supplicavit, quod illi alacriter annue- A.D. 1170.  
runt; erat quidem eis comes individua et in eorum  
obsequiis diligens et devota, nam pedes eorum lavabat,  
oscula pedibus imprimebat, et aliis cunctis obsequen-  
tior habebatur. Ita per totum iter in eundo et red-  
eundo se gerebat, nec ab aliquo interrogata fuit quæ  
esset vel unde, nec illa id ipsum aliquando indicabat;  
cum autem repatriantes Londonias appropinquabant,  
impetravit licentiam recedendi, et in suo recessu hæc  
verba dixit; "Tempus est ut illuc redeam, unde sum  
" digressa; vos autem benedicite Deum, qui sperantes  
" in se non deserit, scientes quoniam illud eveniet,  
" quod Romæ ab apostolis postulastis." Hanc autem  
mulierem de comitatu nemo vidit nisi Godricus et  
mater ejus.

*Quod vir Dei de peregrinatione reversus ad heremum  
convolvit.*

Cumque patri<sup>1</sup> suo matrem restituisset incolumem,  
omnia vendidit quæ habebat, et, eorum benedictione  
percepta, profectus est ab eis, vitam heremiticam præ  
omnibus concupiscens. Venit tandem in extremis  
Angliæ finibus ad civitatem, quæ Karleolum nuncu-  
patur, ubi quosdam homines sibi consanguinitate con-  
junctos inveniens ab uno eorum psalterium sancti  
Hieronymi ipso donante suscepit, quod in brevi didi-  
cit et memoriter recitavit. Tunc silvas, ignorantibus  
amicis, petens silvestribus herbis ibi et fructibus  
aliquandiu victitavit, ad quem serpentes et feræ acce-  
dentes ipsum diu intuebantur, sed mox cum omni  
mansuetudine recedebant; ille solus in heremo diebus  
multis conversatus, nunc genuflexionibus, nunc mani-  
bus in cælum elevatis, nunc humi prostratus, Dominum  
assidue precabatur. Tandem solitarium quendam in-  
veniens et speluncam senis ingrediens, ab ipso con-

---

<sup>1</sup> Filio in C.

A.D. 1170. festim audivit, "Bene venias, frater Godrice;" "Et tu  
 — "bene valeas, pater Ailrice," cum antea prorsus essent  
 ignoti. "Tu," inquit senex, "ad hoc missus es a Deo,  
 "ut corpus senile sepulturæ tradas."<sup>1</sup> Itaque soli per  
 biennium commanserunt, nullam omnino substantiam  
 possidentes. Sene tandem graviter infirmato, Godricus  
 debilem sublevat et transportat, cibos ori ejus applicat,  
 presbyterum adducit, qui ei, facta confessione, eucha-  
 ristiam subministrat. Videns ergo Godricus quod  
 morbus invalesceret, dixit, "O spiritus, qui ad imagi-  
 "nem Dei creatus es, adjuro te per Deum omnipo-  
 "tentem, ut me nesciente ex hoc corpusculo non  
 "recedas." Sene autem sine mora animam exhalante,  
 vidit velut in similitudinem venti urentis et fervidi  
 formam quasi sphæricam et rotundam, quæ instar vitri  
 lucidissimi tota resplenduit, et illam undique incom-  
 parabilis candor obduxit, licet modum qualitatis animæ  
 nemo valeat explicare. Audito autem obitu viri sancti,  
 socii ejus, qui erant in curia beati Cuthberti, inter  
 quos fuerat juvenis conversatus, sepelierunt eum in  
 cœmeterio Dunelmensi.

*Quod beatus Godricus Hierosolymam profectus cum  
 prosperitate reversus est.*

Sepulto itaque fratre jam dicto, Godricus revertitur  
 ad desertum, hæsitans quid de se divinæ sit placitum  
 voluntati; dum igitur super hoc attentius Deum oraret,  
 vox lapsa de cælo dixit ei, "Expedi tibi ire Hiero-  
 "solymam et reverti;" sed et sanctus confessor  
 Christi Cuthbertus ei apparens dixit, "Vade Hiero-  
 "solymam cum Domino crucifigi, et ego tibi sum  
 "futurus adjutor in omnibus et patronus, et, itineris  
 "hujus labore consummato, sub mea protectione apud  
 "Fincnale Domino militabis." Godricus autem Dun-  
 elmum reversus signum crucis cum presbyteri bene-

---

<sup>1</sup> Wanting in C.

dictione suscepit. In hoc itinere erat ei cibus panis A.D. 1170.  
 hordeaceus et aqua potus, non vestes mutavit nec  
 abluit, non calceamenta deposuit vel mutavit aut  
 emendavit, antequam ad loca sancta veniret; ad se-  
 pulchrum Domini et ad alia loca sancta veniens devote  
 oravit, lachrymas fudit, solo adhæsit, oscula fixit, ita  
 devotus existens ut vix cuilibet credibile videretur.  
 Ad Jordanis fluentia procedens, cum cilicio et scypho,  
 quem in pera portabat, et cruce modica, quam semper  
 in manibus ferebat, aquas fluminis introivit, quæ omni  
 post tempore quo vixit habuit cariora; tunc primo  
 vestes exuit, de aqua lotus ascendit, calceamenta de-  
 posuit et dixit, "Deus omnipotens, qui in hac terra  
 " nudis pedibus ambulasti, et eos pro me in patibulo  
 " clavis transfigi permisisti, ego deinceps calceamenta  
 " pedibus non apponam." Exacto igitur peregrina-  
 tionis voto, in Angliam repedavit.

*Quod beatus Godricus apud Finchale locum habita-  
 tionis, Deo inspirante, elegit.*

Reversus itaque<sup>1</sup> in aquilonalibus Angliæ partibus  
 locum in silva invenit secretum Eschedale nuncupatum,  
 et hunc sibi competere iudicabat. Hic de lignis casu-  
 lam construxit et cespitibus eam texit, ibique per annum  
 et menses aliquot habitavit; sed, cum ibi a dominis  
 fundi molestias sustinuisset, discessit et Dunelmum  
 pervenit, ubi psalterium ex integro discens tantum in  
 brevi profecit, quod in psalmis, hymnis et orationibus  
 eruditus est, quantum sibi sufficere videbatur. Igitur  
 divina admonitione inspiratus die quadam ad vicinum  
 nemus processit, ubi audivit pastorem quendam socio  
 sic dicentem, "Eamus in Finchale, greges adquare."  
 Hæc audiens Godricus dedit ei solum quem habuit  
 obolum, ut illum duceret ad hunc locum; ubi ad

---

<sup>1</sup> Autem in C.

A.D. 1170. interiorem silvæ densitatem progrediens occurrit lupo miræ magnitudinis sævienti, qui in illum irruit ac si vellet dilaniare frustatim; intellexit autem Godricus versutiam fore hostis antiqui, [et] crucis ei opposuit signum dicens, "Adjuro te in nomine sanctæ Trinitatis, ut festinanter recedas, si meæ<sup>1</sup> servitutis obsequium, quod in hoc loco exhibere Domino propositum, sit acceptum;" et, his dictis, fera se impiis pedibus prostravit, quasi veniam precaretur.

*Quod sanctus Godricus apud Finchale ferarum et serpentium socius habitavit.*

Advertens igitur mente quod ibidem esset Domino serviturus, de licentia Ranulphi, Dunelmensis episcopi, juxta ripam Weri fluminis casulam composuit in terra defossam, quam cespite contexit, et cœpit ibi habitare, serpentium socius et ferarum; magna quidem et horribilis aderat serpentium multitudo, mitissimas se tamen viro Dei palpabilesque et ipsius<sup>2</sup> obtemperantes jussionibus exhibebant. Nonnunquam vero, eo sedente ad ignem, se inter ipsius tibus extendebant, et quandoque in disco aliquo vel scypho rotundo se schemate componebant. Cumque hæc annis aliquibus pertulisset, visum est sibi, quod ejus orationes impediebant; et die quodam illos solito more reperiens jussit, ne amplius domum suam intrarent, et mox totum illud vermium genus ita discessit, quod nec ultra casæ limen transire præsumpsit. Munera quoque sibi oblata plane respuit et cibaria, de laboribus manuum vivere disponens ramos et radices herbarum in cineres redegit, quos cum farina hordei ita commiscuit, ut partem tertiam cineres continerent; insultus libidinis lachrymis, vigiliis arcebat et jejuniis, ita quod plerumque per sex dies abstineret a cibo.

---

<sup>1</sup> Si meæ wanting in C.

| <sup>2</sup> Et ipsius wanting in C.

Post fortia luxuriæ tentamenta conatus est eum dia- A.D. 1170.  
 bolus, nunc apparens in urso vel leone, nunc in tauro  
 vel lupo, nunc in vulpe vel bufone, terrere, sed ille  
 fortis in fide omnia contemnebat; ut autem carnis  
 incendia superaret, cilicio carnem edomabat asperrimo,  
 et lorica per quinquaginta annorum curricula utebatur.  
 Lapidem latum habuit pro mensa, super quem panem  
 collocabat prædictum, quem nunquam comedit, nisi  
 gravi necessitate compulsus; potus illi fuit gustus  
 aquæ permodicus, nec hunc sumebat, nisi valida siti  
 coactus; nunquam jacebat in lecto, sed in humo nuda  
 super cilicio fatigatus decubuit, capite supposito lapide,  
 quem pro mensa habebat; luna lucente operibus in-  
 sistebat, et, somno ita discusso, orationibus incumbebat;  
 hieme gelu et nive rigenti, nudus flumen ingressus  
 nocte ibi tota vivam semetipsum Domino hostiam  
 immolabat, et usque ad collum submersus orationes  
 et psalmos cum lachrymis profundeabat. Dum vir  
 sanctus staret in aquis, apparuit ei sæpe diabolus  
 membrorum universitate distortus, et, cum in eum  
 vellet irruere, signo sanctæ crucis illum confusum  
 fugavit; vestes ejus, quas in ripa reliquerat, asporta-  
 vit, quem Godricus ita clamore deterruit, quod cuncta  
 relinquens effugit.

*Quod beatus Godricus puerum ex ore imaginis cru-  
 cifixi vidit exire et in matris gremium descendere  
 reverenter.*

Die quodam, dum vir Domini Godricus in oratorio,  
 suo sedens psalterium ruminaret, vidit ex ore imaginis  
 crucifixi puerulum exire, qui ad imaginem beatæ vir-  
 ginis, quæ in parte aquilonis stabat in eadem trabe,  
 descendit et gremio ipsius insedit. Illa vero manus  
 contra venientem extendens amplexum fere per tres  
 horas brachiis confovebat; puer quoque, quamdiu se-

A.D. 1170. — debat in gremio matris, ut vivens in corpore se movebat, et ad ejus adventum pariter et discessum tota sacræ virginis imago ita contremuit, ut in<sup>1</sup> trabe ruinam minari videretur. Putabat autem amicus Dei Godricus imaginis membra vitali spiritu compleri, et puerum non aliud esse quam Jesum. credidit Nazarenum; deinde puer eodem modo quo venerat in os rediit crucifixi.

*Quod mater Domini et Maria Magdalena beato Godrico apparuerunt, et de cantico, quod a matre didicit Salvatoris.*

Altera vice, cum vir sanctus coram altari beatæ virginis et Dei genitricis oraret, vidit duas puellas, quasi ætate teneras, stantes ad duo cornua ipsius altaris specie pulcherrimas, quarum vestes erant niveo splendore fulgentes; quibus diu invicem se contemplantibus, tacuit Godricus non ausus se movere, sed sæpius in eas oculos convertibat et quandoque cernuus adorabat. Tunc virgines ad Godricum accedentes, illa, quæ a dextris erat altaris, illum taliter est affata, "Nunquid me, Godrice, cognoscis?" Et ille, "Domina, hoc nemo potest, nisi cui te volueris revelare;" et illa, "Vere dixisti, quia mater Christi sum, et per me ipsius gratiam obtinebis. Ista est autem apostolorum apostola, Maria Magdalene." Et Godricus pedibus Dei genitricis advolutus, "Tibi me, domina mea," inquit, "committo, ut me perpetuo custodire digneris." Tunc utramque manum super caput ejus imposuit, et cæsariam complanantes domum odore dulcifluo repleverunt. Post hæc autem Dei genitrix canticum quoddam coram illo musica modulatione præcinit et ipsum cantare edocuit, quod frequenter repetens

---

<sup>1</sup> De in C.



Godricus memoriæ firmiter commendavit. Est autem A.D. 1170. canticum illud Anglico idiomate compositum sic;

“ Sainte Marie, clane virgine,  
 “ Moder Jesu Christ Nazarene,  
 “ Onfo, scild, help thin Godrich,  
 “ On fang, bring heali widh the in Godes rich.  
 “ Sainte Marie, Christes bour,  
 “ Meidenes clenhed, moderes flour,  
 “ Deliver mine sennen, regne in min mod,  
 “ Bring me to blisse wit thi selfe God.”<sup>1</sup>

Hoc canticum potest hoc modo in Latinum transferri;

“ Sancta Maria, virgo munda, mater Jesu Christi  
 “ Nazareni, suscipe, adduc, sancta, tecum in Dei reg-  
 “ num. Sancta Maria, Christi thalamus, virginalis  
 “ puritas, matris flos, dele mea crimina, regna in  
 “ mente mea, duc me ad felicitatem cum solo Deo.”  
 Præcepit itaque mater Christi, ut quotiens dolori,  
 tædio vel tentationi succumbere formidaret, hoc se  
 cantico solaretur; “ Nam mē,” inquit, “ sic invocans  
 “ meum senties constanter auxilium.” Deinde signum  
 crucis capiti ejus imprimens, ipso cernente, in cælum  
 ascendunt, odorem ei suavissimum relinquentes.

*Quomodo sanctus Godricus duos mortuos resuscitavit.*

Venerunt die quodam ad hominem Dei vir cum uxore sua, ipsum misericorditer obsecrantes, ut resuscitare filiam suam mortuam dignaretur; et corpus exanime de sacco excutientes coram ipso illud projecerunt. Vir autem Domini, qui ad tantæ virtutis

<sup>1</sup> In C. these verses appear in the following form:—

Sainte Marie clane virgine,  
 Moder Jesu Cristes Nazarene,  
 Onfo, scilo, help thin Godrich,  
 Onfang, bring heali widh the in  
 Godes rich.

Sainte Marie, Crestes bur,  
 Meidenes clenhad, moderes flour,  
 Dilie mine sennen, rixe in min  
 mod,  
 Bring me to thunne thidh self  
 God.

A.D. 1170. opus se iudicabat indignum, nihil respondit, sed in agrum processit, ut consuetum exerceret laborem; illi autem commoti recesserunt, corpus relinquentes in oratorio et dicentes, "Habeat cadaver et infodiat, vel " illud vitæ restituat, quia posset suscitare si vellet." Godricus vespere domum rediens in angulo oratorii corpus invenit; ad Deum igitur tota cordis intentione conversus orationibus cœpit instare, ut Deus omnipotens, qui vita omnium est et salus, puellam ad vitam revocare dignaretur. Tribus autem diebus et binis noctibus hoc agere non cessavit; sed die tertio, cum adhuc esset in lachrymis ante altare procumbens, vidit puellam ad altare venientem, et, vocatis cum festinatione parentibus, reddidit eis puellam incolumem, jurantibus illis prius, quod secretum hoc, dum Godricus viveret, nemini revelarent. Alio quoque tempore viro Dei puerum mortuum a parentibus clam oblatum<sup>1</sup> iussit super altare in oratorio beatæ virginis ponere, et parentes consolans lachrymantes ait, "Ne " putetis," inquit, "puerum esse mortuum, sed mecum " flexis genibus divinam pro puero clementiam exorate." Oratione igitur completa, præcepit ut eum tollerent de altari, et accedentes viventem reperiunt et ridentem; moxque illos sacramentis constrinxit, ne hoc opus ante ipsius obitum propalarent.

*Qualiter monacho vitam ejus scribere volenti  
responderit.*

Habuit autem vir sanctus monachos Dunelmenses valde familiares, sed tamen inter cæteros monachum quendam nomine N. specialius diligebat. Hic autem, cum a multis rogatus fuisset, ut vitam et virtutes sancti Godrici posteris profuturas literis commendaret, ipse pro rerum veritate certius inquirenda accessit ad

---

<sup>1</sup> Ablatum in C.

virum Dei, volens ab eo, quid scribere deberet, familiarius erudiri. Residens autem ad pedes sancti dixit, quod libenter scriberet vitam ipsius si annueret, protestans quam utile foret, si actuum ejus notitia ad posteros deveniret; ille vero quasi commotus vultum convertens ait, " Vitam Godrici, amice, talem esse cognoscas; Godricus primo rusticus pinguis, fornicator, immundus, fœnerator, falsarius, deceptor, perjurus, adulator, discurrens, petulans et gulosus, modo pullex mortuus, canis fœtidus, vilis vermiculus, non heremita sed hypocrita, non solitarius sed mente diffusus, devorator eleemosynarum, fastidiosus, deliciarum cupidus et negligens, otiosus et stertens, prodigus et ambitiosus, et qui non esset dignus alii servire, quotidie sibi ministrantes verberat et objurgat. Hæc autem et his pejora scribere poteris de Godrico." Et hiis dictis velut indignatus obtulit, et monachus cum nonnulla confusione discessit. Interjectis autem deinceps aliquot annis, nihil de ipsius vita monachus ausus fuit inquirere, donec ipse quasi misertus ejus, et velut de prædicta pœnitens injuria, ultro cœpit dicere quod volebat; adjuravit tamen monachum per dilectionem qua ei conjunctus erat, ut, eo vivente, nemini libellum ostenderet.

A.D. 1170.

*Qualiter sanctus Godricus de exitu animæ et statu interrogatus responderit.*

Altera vice, cum idem monachus propter festum sancti Johannis Baptistæ illuc veniret, ut viro Dei missam celebraret, sedens extra limen oratorii illum intus canentem audivit; deinde post vespervas interrogavit eum frater, qualis esset exitus animarum ex hoc mundo, ad quod tale fertur accepisse responsum; " Sancta," inquit, " anima leniter exit a corpore; sed peccatrix anima, velut immatura, multis flagris ad exitum perurgetur. Egressa vero ad aeris fastigium

A.D. 1170. " sine mora conscendit, et ibi moram quandoque facit,  
 " exspectans quid Deus de illa facere velit. Est  
 " autem ibi quasi quædam porta ferrea et angusta,  
 " hinc inde spirituum bonorum et malorum custodiis  
 " circumcincta, per quam animæ justorum levi tran-  
 " situ admittuntur, injustæ vero graviter angustantur  
 " et cruciantur et ad inferiora miserabiliter depri-  
 " muntur. Hodie verò conspexi animam cujusdam  
 " justi liberam transvolare per eam, et ideo cum an-  
 " gelis eam deferentibus cœpi præ gaudio cantare,  
 " quod et tu admirans audisti."

*Qualiter sanctus Petrus beato Godrico missam  
 celebravit.*

Monachus idem iterum illuc reversus quæsit ab homine Dei, [si] unam missam vellet audire, qui respondit, "Hodie de sancta Trinitate missam audivi, et communionem de manu viri cujusdam candidati<sup>1</sup> suscepi, qui de cœlo descendens iterum in cœlum ascendit, [et] ut peccata confiterer admonuit, et de meis excessibus dixi ei quicquid mihi occurrit; sic autem absolutus ab illo eucharistiam de manu ipsius reverenter percepi; officio quoque peracto, elevatis manibus est elevatus in cœlum. Laudans, fili, ut post hæc a te modo disciplinam vel communionem accipiam?" Et ille respondit, quod hoc facere non auderet, sed quæsit ab eo, quis sanctorum ille fuisset; et vir Dei dixit, hunc fuisse Petrum apostolum, qui missus fuerat a Domino, ut ipsum absolveret a peccatis; "Tu missam," inquit, "in honorem beatæ virginis celebrato, ut ejus interventu Filium ipsius habere propitium mereamur," et monachus Dominum laudans lætus paruit imperanti.

---

<sup>1</sup> Decandidati in D.

*Qualiter sanctus Godricus per orationes et crucis  
signum fuit a dæmonibus liberatus.*

Sanctus heremita et amicus Dei Godricus, cum A.D. 1170. annos quadraginta in heremo apud Finchale strenue peregisset, morbo confectus et senio ad transitum propinquabat, nam per octo fere annos in lecto languidus decubuerat, nec unquam nisi alienæ manus auxilio se in latus aliquod declinabat; quo utique tempore tot sustinuit ægritudinum tentationumque molestias, quot nec lingua possent vel calamo comprehendi. Venerunt ad eum duo dæmones, deferentes lecticam et dicentes, "Huc venimus, ut te ad inferos deportemus, quia senex delirus es et de sapiente factus insipiens;" ille crucis signaculo se munivit, et orans protinus dæmones effugavit.

*Quomodo diabolus sanctum Godricum in capite  
percusserit, et de morte ejus.*

Postea vero, cum vir Dei vice quadam in lecto solus jaceret, ministri, qui foris erant, vocem illos vocantem audierunt, et accurrens unus eorum festinanter invenit eum corpore nudum jacentem in oratorii pavimento, et illum in lecto reponens quæsit ab eo, quare sic jaceret; et ille, "Diabolus," inquit, "mihi adstitit, et videns me post quietem somni tepidius agentem, subito de lecto me pepulit improvisum et scamno caput meum allisit;" et ostendens gibbum in capite hæc verba subjunxit, "Ita subito me prævenit inimicus, quod signo crucis me non potui præmunire, et ait, En, Godrice rustice, de quo non valui hactenus per meos satellites triumphare, dum lecti mollia quæris et sicca a me modo occideris. Cogitet ergo unusquisque quam periculosum sit delicias corpori adhibere et mollitie delectari, cum non possit Deus in finibus suaviter viven-

A.D. 1170. "tium inveniri." Obiit autem venerabilis pater Godricus duodecimo kalendas Junii, in octavis scilicet Dominicæ ascensionis, cujus vita et virtutes supra homines esse et impossibilia relatu videntur; sepultus est autem in oratorio suo, ad plagam septentrionalem, ante gradus altaris sancti Johannis Baptistæ, cujus sepulchrum usque in diem hodiernum coruscat miraculis gloriosum.

*De coronatione regis Henrici juvenis.*

Eodem tempore, id est anno Domini MCLXX. idibus Julii, convenerunt ad mandatum regis Anglorum Henrici apud Westmonasterium Rogerus, Eboracensis archiepiscopus, et omnes suffraganei Cantuariensis ecclesiæ episcopi, ad coronationem Henrici filii regis primogeniti, qui, patre jubente, coronatus est solemniter a Rogero, Eboracensi archiepiscopo, quarto decimo kalendas Julii, contra prohibitionem domini papæ, qui literas ipsi archiepiscopo et aliis episcopis regni in hæc verba direxit; "Universitati vestræ auctoritate apostolica penitus inhibemus, ne quisquam vestrum novo regi coronando, si forte casus emerit, absque assensu Cantuariensis archiepiscopi et ecclesiæ Cantuariensis conniventia, contra antiquam ejus consuetudinem et dignitatem, manum apponere qualibet occasione præsumat aut id aliquatenus attentare;" sed hæc frustra, quia, antequam literæ essent promulgatæ, negotium fuerat consummatum. Et rex statim post coronationem filii sui mare transiens convenit ad colloquium archiepiscopi Cantuariensis apud Muntmirail, ubi præsens erat rex Francorum; et post diutinum de pace tractatum inter eos, cum perventum fuisset ad osculum, quia archiepiscopus dixit ad regem, "In honore Dei vos osculor," rex recessit ab osculo quasi conditionaliter involutus, nam rex semper in verbis archiepiscopi conscientiam habentis purissimam quas-

dam clausulas causabatur, videlicet, nunc "salvo honore A.D. 1170.  
 "Dei," nunc "salvo ordine meo," nunc "salva fide  
 "Dei;" archiepiscopus vero regis cautelas habuit  
 semper suspectas, ne, si concordiam absolute iniret,  
 iniquas Angliæ consuetudines regi concedere videretur.

*De concordia facta inter regem Henricum et beatum  
 Thomam, Cantuariensem archiepiscopum.*

Convenerunt iterum rex Francorum cum rege Anglorum et Willelmo, Senonensi archiepiscopo, et episcopo Nivernensi, apud Fractam-vallem; cum autem rex et archiepiscopus in partem secessissent, bisque descendissent et bis equos ascendissent, bis stapham archiepiscopi rex tenuit cum equum ascendisset; sed tandem apud Ambazium, procurante Rotrodo, Rothomagensi archiepiscopo, rex et Thomas, archiepiscopus Cantuariensis,<sup>1</sup> concordiam inierunt, et, pace confirmata, rex Henricus scripsit Henrico filio suo novo regi literas in hæc verba; "Sciatis quod Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, pacem mecum fecit ad  
 "voluntatem meam, et ideo præcipio, ut ipse et  
 "omnes sui pacem habeant; et faciatis ei habere et  
 "suis, qui pro eo exierunt ab Anglia, omnes res suas  
 "bene et in pace et honorifice, sicut habuerunt tribus  
 "mensibus antequam exiret ab Anglia; et faciatis  
 "venire coram vobis de melioribus et antiquioribus  
 "militibus de honore de <sup>2</sup>Saltwode et eorum juramento faciatis recognosci quid ibi habetur de feodo  
 "archiepiscopatus Cantuariensis, et quod recognitum  
 "fuerit esse de feodo ejus ipsi faciatis habere.  
 "Valete."

His ita gestis, Thomas, venerabilis Cantuariensis archiepiscopus, antequam ad Angliam transfretaret,

---

<sup>1</sup> Cantuariensis wanting in C. | <sup>2</sup> Saltwode in C.

A.D. 1170. Romam misit, domino papæ denuntians, quod cum rege Anglorum pacifice convenisset. Papa autem Deum glorificans literas ei rescripsit, quæ sequuntur ;  
 "Anxietate cordis et amaritudine premimur cum angustias, onera et gravamina, quæ zelo justitiæ et pro libertate ecclesiæ manutenenda æquo animo et invicta fortitudine tolerasti, ad memoriam reducimus et meditatione sedula cogitamus ; veruntamen, ut in te virtutis perfectionem adimpleres, non potuisti frangi adversis, nec a tuæ constantiæ proposito amoveri, tuam super hoc admirandam commendamus virtutem, et tibi super tanta patientia in Domino plurimum congaudemus. Cæterum, quoniam regem Anglorum diutius in patientia et benignitate portavimus, et blandis<sup>1</sup> dulcibusque verbis, et interdum duris et asperis, ut ad se rediret sæpe monuimus, si pacem, quam tecum fecit, executione operis non impleverit, et tibi ac tuis et ecclesiæ tuæ possessiones et honores ablatos non restituerit, tibi plenam auctoritatem concedimus in personas et in loca, quæ ad tuam legationem pertinent, ecclesiasticam justitiam exercere, nullius obstaculo appellationis obstantem."

*De adventu beati Thomæ, Cantuariensis archiepiscopi,  
 in Angliam ab exilio.*

Hæc igitur securitate tam a papa quam a rege accepta, in Angliam rediit et in kalendis Decembris ad portum applicuit Sandwicensem, qui statim, ut nihil de contingentibus omitteret, quibus martyrii gloriam, quam ardentem sitiebat, impediret, misit literas domini papæ Eboracensi archiepiscopo, hæc verba continentes ; "Cum filium suum rex vester coronari voluerit, contempto Thoma, Cantuariensi archiepisc-

---

<sup>1</sup> Et blandis wanting in C.



" copo, ad cuius officium de antiquo jure dignoscitur A.D. 1170.  
 " pertinere, per manum tuam, frater archiepiscopo, in  
 " aliena provincia diadema regni ei fecit imponi. In  
 " coronatione vero illius nulla ex more de conservanda  
 " ecclesiæ libertate cautio juratoria est præstita, nec,  
 " sicut aiunt, a vobis exacta; sed potius juramento  
 " asseritur confirmatum, ut regni consuetudines iniquæ,<sup>1</sup>  
 " sub quibus dignitas periclitatur ecclesiæ, illibatæ  
 " debeant omni tempore conservari. In quo etsi mul-  
 " tum prænominati regis vehementia nos conturbat,  
 " amplius tamen de vestra et aliorum coepiscoporum  
 " vestrorum possumus infirmitate moveri, qui, quod  
 " dolentes dicimus, facti sicut arietes non habentes  
 " cornua, abiistis absque fortitudine ante faciem sub-  
 " sequentis; et si forte hoc licere tibi, frater archi-  
 " episcopo, in propria potuisset provincia, quomodo  
 " tamen in aliena et illius præcipue, qui exulare pro  
 " justitia et solus exire voluit et dare gloriam Deo,  
 " tibi licuerit, nec de ratione possumus nec de sanc-  
 " torum patrum constitutionibus invenire; unde et  
 " post tam iniquas consuetudines juramento firmatas,  
 " non adjecistis sumere scutum fidei, ut staretis pro  
 " domo Domini in die proelii. Ne, si diutius tacueri-  
 " mus, una vobiscum in die judicii damnationis sen-  
 " tentia involvamus, auctoritate sacrosanctæ Romanæ  
 " ecclesiæ, cui auctore Deo ministramus, ab omni vos  
 " officio episcopalis suspendimus dignitatis."

Item sane Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, per  
 alias domini papæ literas episcopos Londoniensem,  
 Sarisberiensem, Exoniensem, Cestrensem, Rofensem,  
 de sancto Asaph, et Landavensem, cum aliis, qui præ-  
 fatæ coronationi ministerium præbuerunt, ab omni  
 episcopali dignitate per has literas subscriptas sus-  
 pendit; " Quæ causa venerabilem fratrem nostrum  
 " Thomam, Cantuariensem archiepiscopum et sedis

<sup>1</sup> Iniquas in D.

A.D. 1170. " apostolicæ legatum, a sua sede exulare compulerit,  
 " non oportet præsentibus annotare, quoniam et vos  
 " præsentialiter aspexistis, et id per totam fere occi-  
 " dentalem ecclesiam fama celebris divulgavit. Cum  
 " autem piæ memoriæ Theobaldus, Cantuariensis archi-  
 " episcopus, prædecessor hujus archiepiscopi, Anglorum  
 " regi coronam imposuerit, ac per hoc Cantuariensis  
 " ecclesia quasi possessionem hujus dignitatis habuerit,  
 " vos nunc novi regis coronationi, archiepiscopo non  
 " præmonito, in ejus provincia ministerium præbere,  
 " literis apostolicis id prohibentibus, præsumpistis;  
 " et, qui relevare ipsius exilium qualibuscunque solatiis  
 " debuistis, aggravastis potius causam ejus, et super  
 " dolorem vulnere ejus, quod mœrentes dicimus, ad-  
 " didistis. In quo facto, si contra personas vestras  
 " non quantum culpa exigit moveamur, pertransire  
 " tamen hoc sub silentio non debemus, ne forte, quod  
 " Dominus avertat, et nos et vos sententia divinæ  
 " severitatis addicat, si ea, quæ in oculis omnium per-  
 " peram acta sunt, neglexerimus vindicare. Noveritis  
 " itaque vos tandiu ab episcopali officio commissa  
 " nobis a Deo auctoritate suspensos, donec ad sedem  
 " apostolicam de tanto excessu satisfacturi accedatis,  
 " nisi præfato archiepiscopo ita<sup>1</sup> satisfacere curaveritis,  
 " ut poenam istam ipse judicet relaxandam."

*Quod ministri regis beato Thomæ præceperunt, ut  
 episcopos excommunicatos absolveret.*

Postquam autem Thomas, venerabilis Cantuariensis archiepiscopus, ad ecclesiam suam cum magna cleri et populi devotione susceptus pervenit, illum incontinenter adierunt regis officiales, denuntiantes ex parte ipsius regis ut suspensos episcopos et excommunicatos absolveret, quia quicquid contra eos factum fuerat, ut

---

<sup>1</sup> Wanting in D.

aiebant, in regis redundabat injuriam et eversionem A.D. 1170. —  
 consuetudinum regni; quibus respondit archiepiscopus,  
 quod episcopi excommunicati,<sup>1</sup> si jurare vellent in forma  
 ecclesie se mandato domini papae parituros, ipse pro  
 pace ecclesie et reverentia domini regis eos absolveret;  
 quod cum episcopis referretur, responderunt, juramen-  
 tum hujusmodi, nisi ex voluntate regis, se non debere  
 prestare. Et cum paulo post archiepiscopus tenderet  
 ad videndum faciem novi regis, qui tunc apud Wode-  
 stoke morabatur, venerunt ad eum nuntii ipsius regis  
 interdicentes ex parte ejus, ne ultra procederet, sed ad  
 suam ecclesiam rediret; qui Cantiam revertens ibi dis-  
 posuit dies Natalitios celebrare.

*De passione gloriosa beati Thomae, Cantuariensis  
 archiepiscopi.*

Anno Domini MCLXXI. beatus Thomas, Cantuariensis A.D. 1171. —  
 archiepiscopus, sermonem habiturus ad populum in die  
 Dominicæ nativitatis pulpitem ascendit, et, sermone  
 completo, Nigellum de Sackevilla, ecclesie de Herges  
 violentum incubatorem, et ejusdem vicarium ecclesie,  
 Robertum quoque de Broc, qui equum quendam ipsius  
 archiepiscopi victualia deferentem ad dedecus et igno-  
 miniam ejus decurtaverat, solemniter<sup>2</sup> excommunicavit.  
 Quibus ita gestis, quinta die Dominicæ nativitatis, circa  
 horam vespertinam, cum archiepiscopus cum clericis  
 suis in thalamo resideret, Willelmus de Traci, Regi-  
 naldus filius Ursi, Hugo de Morvilla et<sup>3</sup> Richardus  
 Brito, de Normannia venientes, tanquam furia injecti  
 subito in<sup>4</sup> thalamum irruerunt, denuntiantes ex parte  
 regis, ut episcopos Angliæ suspensos officio suo resti-  
 tueret et excommunicatos absolveret; quibus respondit

<sup>1</sup> Nominati in C.

<sup>2</sup> Wanting in C.

<sup>3</sup> Wanting in D.

<sup>4</sup> Wanting in C.

A.D. 1171. archiepiscopus, non esse judicis<sup>1</sup> inferioris ut a sententia superioris absolvat, et quod nulli hominum liceat infirmare quod sedes apostolica decreverit statuendum; attamen, si Londoniensis et Sarisberiensis episcopi et alii excommunicati suo mandato se parituros jurare vellent, eos pro pace ecclesiæ et reverentia domini regis absolveret. Illi vero ira incandescentes, et scelus nefarium, quod in mente conceperant, ad effectum perducere properantes, cum impetu recesserunt; archiepiscopus vero, monentibus clericis suis et hora diei vespertina urgente, in majorem intravit ecclesiam vespertas cantaturus. Quatuor itaque satellites nefandi supradicti, armis interim induti militaribus, archiepiscopum e vestigio sunt secuti, qui, cum ad ecclesiam pervenissent, ostia ejus, ut præceperat archiepiscopus, invenerunt aperta; "Neque enim," ait, "Christi ecclesiam, quæ cunctis debet esse refugium, ordine turbato commutabimus in castellum." Turbis quoque undique confluentibus, præfati quatuor milites ecclesiam irreverenter ingressi clamare ceperunt, "Ubi est proditor regis, ubi est proditor regis,<sup>2</sup> ubi est archiepiscopus?" Ille autem, cum audisset nomen archiepiscopi, a tertio vel quarto presbyterii gradu, quem jam ascenderat, eis obviam regressus est, dicens, "Si quæritis archiepiscopum, ecce me in promptu habetis;" quibus acerba proponentibus ei ac mortem comminantibus ait, "Ego mori paratus sum, vitæ præferens assertionem justitiæ et ecclesiæ libertatem; rogo tamen ut mei non sint obnoxii pœnæ, sicut non fuerunt incentores causæ." Dum autem nefandi carnifices strictis ei insurgerent ensibus ait, "Deo et beatæ Mariæ et sanctis hujus ecclesiæ patronis et beato Dionysio me ipsum et ecclesiæ causam commendo." Immolatus itaque martyr gloriosus ante altare beati Benedicti

---

<sup>1</sup> Wanting in C.

<sup>2</sup> Ubi est proditor regis wanting in C.

lætale vulnus excepit in illa corporis parte, qua olei A.D. 1171. sacri perfusio specialius illum Domino consecraverat; nec satis fuit eis sanguine sacerdotis et nece ecclesiam profanare et diem sacratissimum incestare, nisi, corona capitis amputata, funestis gladiis jam defuncti ejicerent cerebrum et per pavimentum crudelissime spargerent cum cruore.

*Quod lictores beati martyris spolia rapuerunt, et de ejus martyrii dignitate.*

Translato ad cælestia martyre glorioso, nefandi lictores cum suis complicitibus supellectilem martyris et clericorum ejus vestes et ministrorum officinarum omnium utensilia penitus rapuerunt. Corpus autem sanctissimum, quod in ecclesiæ decubuit pavimento, ante majus altare est sub ipsius diei crepusculo deportatum ubi quod prius ad notitiam solius cubicularii devenerat, adstantibus tunc cunctis venit in lucem; licet enim archiepiscopus habitum monachilem, quem a tempore suæ promotionis occulte portaverat, habitu canonicali suppressisset, carnem tamen cilicio attritam cum fœmoralibus cilicinis, quod fuerat a seculis inauditum, carnem curaverat edomare; et, ut aliqua breviter perstringamus quæ concurrunt, die Martis archiepiscopus apud Northamptonam à curia regis recessit, die Martis<sup>1</sup> recessit ab Anglia exilium subiturus, die Martis præcepto domini papæ revertens in Angliam est apulsus, et die Martis martyrio consummatus. Sequentem<sup>2</sup> vero die Mercurii summo diluculo rumor increbuit, quod nefandi carnifices corpus archiepiscopi abstrahere ab ecclesia condixerant et extra muros civitatis illud projicere, avibus et canibus discernendum; sed abbas de Boxleia cum priore et conventu ecclesiæ Cantuariensis illud maturiori tradiderunt<sup>3</sup> sepulturæ;

<sup>1</sup> From archiepiscopus to Martis  
wanting in C.

<sup>2</sup> Sequenti in D.

<sup>3</sup> Tradentes in D.

A.D. 1171. nec abluendum fore illis videbatur, præsertim cum  
 — longa nimis abstinencia fuerat maceratum, cilicio abstersum et proprio sanguine consecratum. In hoc sane multa notabilia concurrunt martyrio; primo, quod passus est pro assertione justitiæ et ecclesiæ libertate; secundo, quod in ecclesia non qualicumque, sed in illa, quæ mater est omnium ecclesiarum gentis Anglicanæ; tertio, quod non in quolibet tempore, sed in diebus Natalitiis, in quibus homicidæ rei læsæ majestatis habentur; quarto, quod non simplicem sacerdotem peremerunt, sed utique talem, qui in regno Angliæ erat summus in populo et pater omnium sacerdotum; quinto, quod non passus est in quolibet membro, sed in eo corporis loco, quo tonsuram acceperat, ut in sortem Dei admitteretur, et quem sacri perfusio olei Domino consecravit.

*De pœnitentia regis, et quod nuntios Romam misit,  
 qui eum excusarent.*

Rex<sup>1</sup> Anglorum Henricus tunc temporis in Normannia morabatur apud Argentonium, quando rumor infaustus ad eum, quibusdam perferentibus, penetravit; qui in primis ad omnia lamentationum [se] convertens genera regiam majestatem prorsus in cinere et cilicio commutavit, omnipotentem Deum testem invocans, quod opus nefarium nec sua voluntate vel conscientia commissum est, nec suo artificio perquisitum, nisi forte ex hoc reus sit, quod archiepiscopum minus diligere videbatur; super hoc quoque se judicio ecclesiæ prorsus exposuit, et humiliter se suscepturum quicquid in eum foret<sup>2</sup> statuendum salubriter compromisit. Misit ergo nuntios ad summum pontificem, qui eum excusarent et ejus innocentiam allegarent, quos nec dominus papa videre voluit, nec ad pedes vel ad oscu-

---

<sup>1</sup> Autem inserted in C.

| <sup>2</sup> Fieret in D.

lum admittere dignabatur; sed nuntios, qui secundo A.D. 1171.  
missi fuerunt, aliqui cardinalium susceperunt, sed verbis tantum. Instante tandem quinta feria ante Pascha, in qua de consuetudine Romanæ ecclesiæ solet papa publice vel absolvere vel excommunicare, quibusdam domini papæ silentiariis ad aures nuntiorum regis perferentibus, devenit, quod papa eodem die decreverat in regem Angliæ nominatim, et in omnibus terris suis, de communi fratrum suorum consilio interdicti ferre sententiam, et eam, quæ lata fuerat in archiepiscopum Eboracensem et alios Angliæ episcopos, confirmare. Sic nuntii regis in arcto positi, quibusdam cardinalibus domino papæ suggerentibus, quod iidem nuntii a rege Anglorum acceperant in mandatis, ut jurarent regem Anglorum ejus et cardinalium iudicio staturum et per omnia pariturum; sicut etiam nuntii regis petierunt, ita juraverunt et interdicti sententiam declinarunt. Nuntii vero Eboracensis archiepiscopi et aliorum episcoporum Angliæ idem fecerunt. Eodem tum die papa excommunicavit scelerrimos interfectores beati Thomæ, Cantuariensis archiepiscopi et martyris, et omnes qui consilium, auxilium vel consensum præbuerunt, et omnes qui eos in terra sua reciperent aut foverent; ipsi tamen moram fecerunt in castello regis apud Cnaresburc<sup>1</sup> per annum.

*Quo tempore Deus pro martyre sancto Thoma  
miracula inchoaverit.*

Eodem anno circa Paschalem solemnitatem, Dominus Jesus Christus, qui in sanctis suis semper est et ubique mirabilis, gloriosissimi martyris sui Thomæ, Cantuariensis archiepiscopi, vitam laudabilem et insuperabilem in morte constantiam crebris cœpit irradiare miraculis; ut qui pro tuenda libertate periclitantis

---

<sup>1</sup> Maresburc in C.

A.D. 1171. ecclesiæ suam suorumque proscriptionem tot annis sustinuit patienter, dignum pro meritis cognoscatur ab omnibus reportasse triumphum. De sepulchro<sup>1</sup> quoque martyris gloriosi nullus in fide accedens recedit vacuus, quacumque sit infirmitate gravatus; nam restituitur ibi claudis gressus, surdis auditus, cæcis visus, loquela mutis, sanitas leprosis, vita mortuis, et non solum utriusque sexus homines, verum etiam aves et animalia de morte reparantur ad vitam. Eodem quoque anno rex Anglorum Henricus octavo idus Augusti in Angliam rediens visitavit Henricum, Wintoniensem episcopum, jam in extremis agentem, qui eum pro morte Thomæ martyris gloriosi dirissime increpans multa ipsum prædixit adversa passurum; episcopus autem plenus dierum sexto idus Augusti migravit ad Dominum.

*Quod rex Anglorum Hiberniam ingressus a quibusdam regibus homagium suscepit.*

Per idem tempus rex Anglorum Henricus decimo quinto kalendas Novembris hostiliter Hiberniam intravit, ubi archiepiscopi et episcopi ipsum in regem et dominum receperunt et ei fidelitatem juraverunt. Regulus de Limeleie, regulus de Chore, et<sup>2</sup> regulus qui Monoculus dicebatur, ei homagium juraverunt; Rodericus autem regulus de Comnat, quia regio quam inhabitabat inaccessibilis est, paludibus nimis interjacentibus, in quibus nec vada commoda, nec pontes pervii, nec navigatio tuta habetur, regi occurrere suspesedit. Eodem anno in festo sancti Nicolai, apud Albemariam, Rogerus, Eboracensis archiepiscopus, præstito juramento, quod ante coronationem novi regis literas prohibitionis a domino papa nequaquam suscepit, et quod se regi de consuetudinibus regni ob-

---

<sup>1</sup> De sepulchro wanting in D. | <sup>2</sup> Regulus de Chore et wanting in C.



servandis non obligaverat, quodque mortem Thomæ A.D. 1171. gloriosi martyris nec verbo, nec scripto, nec facto scienter procuraverat, ad officii sui est plenitudinem restitutus.

*De reconciliatione Cantuariensis ecclesie post mortem sancti Thomæ.*

Post mortem beati Thomæ martyris anno fere integro ecclesia Cantuariensis a divinis cessans obsequiis, continuis perstitit in lamentis, subversum est ecclesie pavimentum, sonus est campanarum suspensus, nudati sunt parietes ornamentis, et sic quasi in cinere et cilicio exequias in tristitia et mœrore persolvit; sed tandem ad matris suæ Dorobornensis ecclesie vocationem, in festo sancti Thomæ apostoli, suffraganei convenerunt episcopi, ut ecclesiam, longa suspensione consternatam, juxta mandatum domini papæ in statum pristinum reformarent. Bartholomæus igitur, Exoniensis episcopus, ad petitionem conventus, missam celebraturus solemnem et sermonem ad populum habiturus, sic exorsus est, "Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificant<sup>1</sup> animam meam."

*De tonitruo generali et satisfactione regis pro morte beati Thomæ.*

Anno Domini MCLXXII. in nocte natalis Domini A.D. 1172. tonitrua audita sunt generalia, in Anglia scilicet, Hibernia et Gallia, subita et horribilia, orbem fortasse ad nova beati Thomæ martyris miracula ex diversis partibus invitantia, ut sicut sanguinem suum pro universali perfudit ecclesia, ita ejus passio sit generaliter,<sup>2</sup> ab omnibus piis desideriis recolenda. Eodem tempore,

<sup>1</sup> Læti in D.

| <sup>2</sup> Generalis in D.

A.D. 1172. rege Anglorum moram faciente in Hibernia, Hugo de Seinte More et Radulphus de Faie, avunculus Alienor reginæ, consilio ipsius, ut dicitur, regis Henrici junioris animum cœperunt avertere a patre suo, asserentes, incongruum videri regem quemlibet esse et dominationem in regno debitam non habere; sed rex pater, antequam ab Hibernia rediret, apud Lissemor concilium congregavit, ubi leges Angliæ ab omnibus sunt grantanter receptæ et juratoria cautione præstita confirmatæ. Urbes et castella, quæ rex in sua receperat, sub fidei custodia deputavit; et, quoniam varia ipsum trahebant negotia, in die Paschæ sub ipsius diei crepusculo navem ascendens in crastino applicuit in Walliam, et inde Porecestriam veniens navigatione felici in Normanniam est transvectus. Et confestim ad cardinales a papa missos, Albertum et Theodinum, accedens, post longos tractatus, in præsentia eorundem legatorum juravit, mortem Thomæ martyris gloriosi nec voluntate sua vel conscientia perpetrata fuisse, nec suo artificio perquisitam; sed quoniam malefactores ex verbis, quæ rex iracundiæ calore succensus minus caute protulerat, quod videlicet nequissimos commilitones educaverat et clientes, qui ipsum in proditorem suum archiepiscopum noluerunt vindicare, occasionem virum Dei sumpserant perimendi, rex cum summa humilitate absolutionem postulans impetravit. Promisit igitur rex ad mandatum legatorum, quod tantum daret de pecunia sua, unde ducenti milites ad defensionem terræ sanctæ possent sustentari per annum; promisit insuper, quod permetteret deinceps appellationes libere fieri, et quod consuetudines, quæ suis erant introductæ temporibus contra libertates ecclesiæ, in irritum revocaret, et quod possessiones Cantuariensis ecclesiæ, quæ post recessum archiepiscopi ablatæ fuerant, in integrum redderentur; promisit præterea, quod clericis et laicis utriusque sexus, qui pro beato martyre de regno exierant, cum pace sua reci-

pere bona omnia et libere redire licebit; et hoc totum A.D. 1172.  
 promittere et jurare ac facere ex parte domini papæ regi injunctum est in remissionem omnium peccatorum. Rex vero juvenis, quicquid rex pater juraverat et promiserat, ipse juravit et promisit; et, his ita gestis, rex juvenis cum sponsa sua Margareta mense Augusti in Angliam transfretavit, et duodecimo kalendas Septembris apud Wintoniam præfatam Margaretam Rothrodus, Rothomagensis archiepiscopus, in reginam Angliæ, ministrantibus sibi quibusdam suffraganeis Cantuariensis ecclesiæ, consecravit. Eodem anno Gilbertus, Londoniensis episcopus, præstito juramento quod mortem beati Thomæ martyris nec verbo, nec facto, nec scripto scienter procuravit, suo est officio restitutus.

*Quod Johannes filius regis uacorem duxit, et de electione Cantuariensis archiepiscopi.*

Anno Domini MCLXXIII. rex Anglorum Henricus A.D. 1173.  
 Johanni filio suo, cognomento Sine-terra, vix septennem filiam Huberti comitis de Moriana primogenitam, quam ex relicta Henrici ducis Saxonie sustulerat, in sponsam accepit. Eodem etiam anno Robertus,<sup>1</sup> abbas Beccensis, pridie nonas Martii apud Lamhitham, presentibus suffraganeis ecclesiæ Cantuariensis, in archiepiscopum præfatæ ecclesiæ est electus; sed abbas ille electioni factæ penitus contradixit, utrum pusillanimitatis intuitu, an religionis, incertum. Eodem anno rex Henricus juvenis in consilio abiens impiorum animum suum a patre divertit, et ad socerum suum regem Francorum secessit; quo facto, Richardus dux Aquitanniæ et Gaufridus comes Britannie, consilio matris suæ, ut dicebatur, Alienor reginæ, fratrem

---

<sup>1</sup> Rogerus in C.

A.D. 1173 potius<sup>1</sup> elegerunt sequi quam patrem. Fiunt undique conjurationes, fiunt rapinæ<sup>2</sup> et incendia, et sic, ut creditur, in ultionem beati Thomæ martyr̄is suscitavit Deus viscera regis Henrici contra eum, id est filios suos, qui ipsum usque ad mortem persecuti sunt, sicut sequens historia declarabit.

Eodem anno Radulphus de Warnevilla, sacrista Rothomagensis et thesaurarius Eboracensis, constitutus est Angliæ cancellarius. Per idem tempus, ad instantiam cardinalium Alberti et Theodini, rex Anglorum Henricus liberas fieri electiones vacantium ecclesiarum concessit; porro Richardus, Pictaviensis archidiaconus, ad Wintoniensem, Gaufridus, Cantuariensis archidiaconus, ad Heliensem, Gaufridus, Lincolnensis archidiaconus, ad Lincolnensem, Reginaldus, Sarisberiensis archidiaconus, ad Bathoniensem, Robertus, Oxoniensis archidiaconus, ad Herefordensem, et Johannes, Cicestrensis decanus, ad Cicestrensem ecclesias sunt electi, regis justiciario assensum præbente.

*De electione Richardi, Cantuariensis archiepiscopi,  
et canonizatione sancti Thomæ.*

Eodem anno, pridie nonas Julii, suffraganei Cantuariensis ecclesiæ et ejusdem loci senior pars conventus de electione archiepiscopi tractantes elegerunt Richardum, priorem Dovernensem; igitur, electione facta, electus ille regi fidelitatem juravit salvo ordine suo, nulla prorsus habita mentione de regni consuetudinibus conservandis. Acta autem sunt hæc apud Westmonasterium in capella sanctæ Katherinæ, justiciario assensum præbente. In hoc quoque concilio recitatæ fuerunt literæ domini papæ in audientia episcoporum omnium ac baronum, hæc inter cætera continentes;

<sup>1</sup> Wanting in C.

| <sup>2</sup> Wanting in C.

“ Universitatem vestram monemus et auctoritate qua A.D. 1173.  
 “ fungimur districte præcipimus, ut natalem Thomæ  
 “ martyris gloriosi, Cantuariensis olim archiepiscopi,  
 “ diem videlicet passionis ejus, solemniter sub annis  
 “ singulis celebretis, et apud eum votivis orationibus  
 “ satagatis peccatorum veniam promereri, ut, qui pro  
 “ Christo in vita exilium et in morte virtutis con-  
 “ stantia martyrium pertulit passionis, fidelium jugi  
 “ supplicatione pulsatus apud Deum pro nobis inter-  
 “ cedat.” Apicibus autem vix perlectis, levaverunt  
 vocem omnes in sublime dicentes, “ Te Deum lauda-  
 “ mus.” Et quoniam suffraganei ejus debitam patri  
 reverentiam aut exulanti, aut ab exilio revertenti,  
 vel etiam reverso non exhibuerant, sed potius fuerant  
 persecuti, ut suum publice omnibus confiterentur erro-  
 rem et iniquitatem, ex ore unius episcopi omnium  
 episcoporum est expressa confessio dicentis, “ Adesto,  
 “ Domine, supplicationibus nostris, ut, qui ex iniqui-  
 “ tate nostra reos nos esse cognoscimus, beati Thomæ  
 “ martyris tui atque pontificis intercessione liberemur.”

Eodem anno Maria, soror ejusdem sancti martyris,  
 rege jubente, facta est abbatissa Berkingensis.

Per idem tempus rex Henricus juvenis castrum  
 Gornaci obsedit, et cepit in eo Hugonem dominum  
 castri<sup>1</sup> et filium ejus cum viginti quatuor militibus,  
 castrum succendit et burgenses ad redemptionem co-  
 egit. Quo etiam tempore Robertus, comes Legeces-  
 trensis, et cum eo Willelmus de Tankarvilla, cum  
 multis aliis comitibus et baronibus, regem patrem  
 relinquentes ad regem filium transfugium fecerunt.

---

<sup>1</sup> Wanting in C.

*Quod rex Francorum Normanniam hostiliter  
invaserit.*

A.D. 1173. Eodem anno rex Francorum Lodowicus ad Normanniam penitus devastandum<sup>1</sup> innumerabilem exercitum congregavit; qui quantocius Normanniam ingressus castrum Albemalense cepit, et Willelmum ejus dominum cum comite Simone et pluribus aliis ad deditionem coegit. Demum cepit castrum Driencurt et custodiae deputavit; indeque ad castrum de Archis progrediens amisit in itinere Bononiæ comitem, unde comes Flandrensis de morte comitis fratris sui animo nimis consternatus ad propria remeavit. Rex Henricus senior inter hæc omnia Rothomagi morabatur, æquo animo, ut populo visum est, ferens ea quæ fiebant, et solito frequentius venatui indulgens ad se venientibus vultum hilariorem præterdit. Dilabebantur autem ab eo hii, quos ab annis puerilibus educaverat, credentes dominationem filii illico imminere. Sedente quoque rege Francorum cum rege filio regis in obsidione Vernolii, rex pater nuntios direxit ad regem Francorum, mandans ut cum festinatione a Normannia recederet, alioquin ipsum ea die hostiliter visitaret; quod audiens rex Francorum, cum sciret regem Anglorum esse potentissimum et animo amarum, fugam inire potius quam pugnare decrevit, et sic a facie regis Anglorum fugiens intra Galliam se cum festinatione recepit.

*De subversione Legecestricæ.*

Eodem anno, quinto nonas Julii, rege jubente, obsessa Legecestria dicitur, eo quod comes dominus urbis, rege patre relicto, ad regem filium confugit; sed, urbe tandem pro maxima parte combusta, cives de pace

---

<sup>1</sup> Devastandam in D.

tractaverunt, datis regi marcis trecentis, ut haberent, A.D. 1178. quo vellent, licentiam abeundi. Concessa est ergo eis tali conditione licentia, ut in urbibus regiis vel castellis locum susciperent habitandi; illis autem abeuntibus, subversæ sunt portæ civitatis, pars murorum destructa est, militibus castello inclusis dantur induciæ usque ad festum sancti Michaelis, et sic quinto kalendas Augusti obsidio est soluta. Quo facto, rex Scotorum Willelmus provinciam Northanhumborum, quæ David regi avo suo data fuerat et longo tempore possessa, illam a rege repetens repulsam invenit; qui, exercitum congregans tam Wallensium quam Scotorum, per fines episcopi Dunelmensis securum habuit transitum, donec villis quampluribus succensis, mulieribus et parvulis interfectis, prædam impretiabilem congregavit. Ad propulsandam ergo tantam injuriam magnates Angliæ occurrentes regem Scotorum ad sua redire compulerunt, qui ejus vestigia insequentes totum Lodonesium incendio tradiderunt; quicquid extra muros reperiunt Anglis cessit in prædam; et sic ad instantiam regis Scotorum, datis usque ad festum sancti Hilarii induciis, magnates Angliæ cum victoria remearunt.

*Qualiter comes Legecestrensis et Flandrenses capti  
incarcerantur.*

Audiens autem Robertus, comes Legecestrensis,<sup>1</sup> quæ de civitate sua facta fuerant, tactus dolore cordis intrinsecus, cum uxore in Angliam reversurus per Flandriam transitum fecit, ubi Normannorum et Flandrensium, tam equitum quam peditum, plurima sibi suffragante caterva, naves ascendit, et, velis in altum expansis, applicuit in Suthfolca apud Waletunam tertio kalendas Octobris, qui navibus cum festinatione

---

<sup>1</sup> Legecestrensis in D.

A.D. 1173. egressus castrum ejusdem villæ obsedit, sed nihil omnino profecit; indeque progrediens tertio idus Octobris castellum de Hagenet invasit, cepit et succendit, et milites triginta intus captos ad redemptionem coegit. Regrediens inde ad Fremingeham, cum mora ejus onerosa Hugoni Bigod castelli domino videretur, necessitate ductus animum direxit et gressum ad Legecestriam visitandum. Iter igitur arripiens proposuit burgum sancti Eadmundi ex industria itinerans sinistrare; quod exercitus regis Angliæ, qui ad patriæ illius custodiam fuerat assignatus, non latebat. Stipatus ergo comes Legecestrensis milite copioso, qui paratus ad pugnam erat, in tribus millibus Flandrensi-um, quos viæ participes tunc habuit, non minimum confidebat. Inito itaque certamine, et ictibus ictuum assiduitate compressis, post belli varios eventus comes et comitissa, Flandrenses, Normanni et Franci et qui cum eis venerant, omnes capiuntur decimo sexto kalendas Novembris. Comitissa vero anulum habens in digito pretiosum in amnem prope fluentem projecit, nolens hostibus suis de sua captione tantum habere proventum. Tandem pars major Flandrensi-um occiditur, pars quædam submergitur, pars minima ad vincula trahitur subeunda, quo carcerali custodiæ deputatur.

*Quod rex Henricus multos hostium suorum ceperit.*

Rege Anglorum patre apud Rothomagum commorante, nuntiatum est ei, electam regis filii sui militiam apud Dolensem urbem a suis Brebantiis et ruptariis circumclusam; qui continuo equos ascendens sequenti mane ad urbem pervenit præfatam, et militiam filii sui repugnantem sibi per dies aliquot comprehendit, sed, priusquam veniret, hostium suorum maxima multitudo a suis ruptariis fuerat interempta. Captus est ibi comes Cestrensis Ranulphus, qui nuper transfugium



fecit<sup>1</sup> ad filium suum, Radulphus de Fulgeriis, Wil- A.D. 1178.  
 lelmus Patricius, Radulphus de Haie, Hasculphus de  
 sancto Hilario, et cum istis milites quater viginti.

Eodem tempore magnates Angliæ cum exercitu in-  
 finito ad Hugonis Bigod superbiam reprimendam pro-  
 fecti, cum de facili posset expugnari, sicut omnibus  
 videbatur, interventu pecuniæ, datis et acceptis indu-  
 ciis usque ad Pentecosten, quatuordecim millia Flan-  
 drensium armatorum per Essexiam et Cantiam securum  
 præbuerunt conductum et apud Doveram naves ad  
 transfretandum.

Eodem anno electus Cantuariensis Romam profici-  
 scens habuit in comitatu Bathoniensem electum.

*De subversione castri Axiholm et magna militia capta.*

Anno Domini MCLXXIV. Rogerus de Molbraia a fide- A.D. 1174  
 litate regis senioris recedens in insula Axiholm cas-  
 tellum ab antiquo dirutum reparavit; ad quem mul-  
 tudo Lincolniensium navigio transvecta castellum  
 obsedit, constabularium et milites omnes ad deditio-  
 nem coegit, et castellum subvertit.

Eodem tempore, pridie kalendas Maii, rex Anglorum  
 senior, cum audisset militiam Richardi filii sui urbem  
 Santonicam occupasse, sumptis secum Pictaviensibus, ad  
 ejus liberationem processit; milites illi nec Deo neque  
 sanctæ ecclesiæ reverentiam exhibentes, majorem in-  
 gressi ecclesiam, ipsamque in castellum redigentes, armis  
 et victualibus impleverunt. Cum autem rex hostes in  
 tribus munitionibus considerare edoctus fuisset, ad eos  
 invadendum operam impendit; duabus<sup>2</sup> igitur muni-  
 tionibus illico subjugatis, ad majorem ecclesiam<sup>3</sup> mili-  
 tibus armatis et lenocinatoribus refertam accessit, ita  
 ut non eam impugnaret, sed a sordibus liberaret;  
 capti sunt autem tam in ecclesia quam in aliis locis

<sup>1</sup> Fecerat in C.

<sup>2</sup> Duobus in D.

U 23058.

<sup>3</sup> Wanting in C.

A.D. 1174. milites sexaginta cum balistariis quadringentis. Positis igitur in securitate finibus illis, rex in Normanniam reversus est necessitate compulsus; Philippus enim, comes Flandrensis, præsente rege Francorum Lodowico et majoribus regni illius, tactis sacrosanctis reliquiis juraverat, quod infra dies quindecim post instans festum sancti Johannis in manu robusta Angliam intraret et regis eam juvenis subjiceret potestati. Qua fiducia rex junior tractus pridie idus Julii apud Witsand<sup>1</sup> venit, Radulphum de la Haie in Angliam cum multa militia transmissurus; comes Flandrensis trecentos et octodecim milites probatissimos ad transfretandum præmisit, sed postquam apud Arewellam in Angliam sunt appulsi, decimo octavo kalendas Julii, sociis eorum maxima ex parte periclitatis, Hugonem Bigod comitem secum illico assumpserunt. Norwicum invadentes ceperunt [et] infinitam inde pecuniam sustulerunt, multos abduxerunt captivos decimo quarto kalendas Julii et ad redemptionem gravissimam compulerunt; quod videntes justiciarii regis de consilio communi miserunt ad regem Richardum, Wintoniensem electum, qui pericula, quæ Angliæ imminabant, fideliter intimaret; qui celeriter in Normanniam transvectus, omnia quæ fiebant in Anglia, remota falsitate, narravit.

*Quod rex veniens in Angliam beatum Thomam gratia orationis petivit.*

Rex autem talem nuntium debita cum veneratione suscipiens et se ad transfretandum præparans,<sup>2</sup> reginam Alienor<sup>3</sup> reginamque Margaretam, filium et filiam Johannem et Johannam, secum adduxit; comitem quoque Legecestrensem et comitissam aliosque quamplures, quos habebat in vinculis, ante faciem suam Barbeflu-

<sup>1</sup> Witsant in C.

<sup>2</sup> Præparatis in D.

<sup>3</sup> Wanting in C.

vium præmisit, ubi, navibus congregatis, cum innumera A.D. 1174. armatorum copia impiger naves conscendit, sed ventus in contrarium veniens transitum ea die nautis reddebat suspectum. Cum autem mare rex turbulentum cognovisset, erectis in cœlum luminibus, palam cunctis ait, "Si ea quæ ad pacem sunt cleri et populi habeam in proposito, si pacem in adventu meo dare Rex cœlorum disposuit, tunc pro sua misericordia indulgeat mihi portum salutis; si autem adversus fuerit et regnum in virga furoris Angliæ visitare decreverit, nunquam mihi concedat fines attingere regionis." Oratione itaque completa, ipsa die tranquilla navigatione cum rerum indemnitate ad portum Hamonis applicuit; deinde in pane jejunans et aqua ab ingressu civitatum abstinuit, quousque vota orationum persolveret mente concepta beato Thomæ, Cantuariensi archiepiscopo ac martyri glorioso. Cum autem Cantuariam appropinquasset, equo desiliens et regiam majestatem prorsus deponens, nudus pedes, faciem peregrinantis, pœnitentis et supplicantis assumens, tertio idus Junii, feria sexta, ad ecclesiam majorem pervenit, et cum gemitibus et suspiriis alter Ezechias lachrymarumque affluentia petiit sepulchrum martyris gloriosi, ubi toto corpore prostratus, manibusque in cœlum expansis, diutius in oratione permansit. Interim per os episcopi Londoniensis, sermonem ad populum habentis, rex Deum et martyrem beatum in animam suam invocans publice protestatus est, quod mortem martyris nec mandavit nec voluit, nec suo artificio perquisivit; sed quoniam interfectores martyris gloriosi ex verbis ejus non satis circumspecte prolatis occasionem sumpserant archiepiscopum perimendi, ab episcopis, qui tunc præsentibus erant, absolutionem petiit, carnemque suam nudam disciplinæ virgarum supponens a singulis viris religiosis, quorum multitudo magna convenerat, ictus ternos vel quinos exceperit. Vestibus igitur resumptis, muneribus pretiosis mar-

A.D. 1174. tyrem honoravit, assignans insuper annui census quadraginta libras ad luminaria circa sepulchrum martyris continuanda, reliquumque diei ac noctis sequentis in amaritudine mentis transegit. Orationibus igitur, vigiliis et jejuniis deditus usque in diem tertium ab alimentis abstinuit; unde beatum martyrem sibi redens placabilem, ipsa die sabbati, quo sibi ab eo indulgentiam dari postulabat, tradidit Deus regem Scotiæ Willelmum in manus suas, apud Richemunt castellum custodiæ mancipatum. Ipso etiam die sabbati rex filius ejus, navibus, quas congregaverat ad transfretandum in Angliam, ut eam subjugaret, dissipatis penitus et fere submersis, coactus est ad Galliam redire.

*De captione Willelmi, regis Scotorum.*

De captione regis Scotorum, ut breviter dicatur; Dum Northanhumbriam intraret, sicut in anno præterito, ut eam subjugaret et suo regno hostiliter copularet, occurrerunt ei magnates regionis, et, commisso campestri prælio, ipsum ceperunt et vinculis arctioribus constrinxerunt; de formicis autem Scoticis tot interfectæ referuntur, quod numerum omnem excedere dicebantur. Rege vero apud Richemunt castellum carcerali custodiæ deputato, impleta videtur Merlini propheta dicentis, "Dabitur maxillis ejus frænum, quod in Armorico sinu fabricabitur;" sinum Armoricum vocans castellum de Richemunt, ab Armoricis principibus et tunc ab antiquis temporibus hæreditario jure possessum.

Ut autem veraciter perstringamus beneficia, quæ regi Henrico Deus post satisfactionem, quam sibi exhibuit et beato martyri, [et] per ejusdem sancti intercessionem in articulo temporis præstitit, intelligamus ea quæ sequuntur.

Rex autem Henricus, votis orationum completis, a Londoniensibus susceptus est reverenter; inde ad Hun-

tendonam progrediens castellum obsedit et subjugavit A.D. 1174  
 decimo quarto kalendas Augusti, ubi milites comitis Legecestriæ ad regem accedentes reddiderunt castella de Grobi et Muntsorell, ut cum domino suo mitius se haberet. Undecimo kalendas Augusti, proceres Norenses, ducem habentes electum Lincolnensem, regis videlicet filium, Malessart, castellum Rogeri de Molbraio, viribus subjugarunt; rex Henricus, turmis militaribus undique ad eum confluentibus, cum apud sanctum Eadmundum copiosum congregasset exercitum, duo castella Hugonis Bigod, Bungeie et Framingeham, obsidere decrevit; comes autem non habens fiduciam resistendi, datis mille marcis cum obsidibus, pacem regis obtinuit octavo kalendas Augusti. Tunc multitudo Flandrensium, quam Philippus comes in Angliam miserat, ut præmissum est, præstito juramento, quod fines Angliæ amplius hostiliter non intrarent, cum licentia regis ad propria remeavit; militia etiam regis juvenis, cui præerat Radulphus de la Haic, absque impedimento ab Anglia recessit. Robertus, comes de Ferrariis et Rogerus de Molbraio, quorum castella tunc obsidebantur a rege, Tresc<sup>1</sup> et Stuteberi, missis ad regem legatis, pacem ejus impetrarunt; Willelmus, comes Gloverniæ, et Richardus, comes de Clare, regi occurrerunt, suo mandato in omnibus parituri. Sic rex magnificus, per intercessionem martyris gloriosi hostibus superatis et rebus Angliæ pacificatis, septimo idus Augusti in Normanniam transfretavit, ducens secum regem Scotorum, comitem Legecestrensem et Hugonem de Castello, quos in vinculis retinebat.

*Quod rex Francorum ab obsidione Rothomagi recessit.*

Cum autem rex Henricus tertio idus Augusti applicuisset, invenit Rothomagensem civitatem obsessam; Lodowicus enim, rex Francorum, et Henricus rex juvenis, cum comite Flandrensi Philippo, in absentia

---

<sup>1</sup> Trese in D.

A.D. 1174. regis Anglorum, cum exercitu copioso supervenerant et requiem non dederant civibus obsessis; sed rex Francorum, cum Anglorum regem supervenire didicisset, successis machinis, non sine famæ dispendio recessit, atque in ejus fuga milites Anglorum arma plurima et instrumenta bellica rapuerunt.

Eodem anno archiepiscopus Cantuariensis a Roma rediens pallium et primatum Angliæ reportavit; veniens apud Londonias tertio kalendas Septembris vacantium ecclesiarum personas principales, quæ sibi pastores elegerant, convocavit, ubi electionibus confirmatis, Wintoniensem, Heliensem, Herefordensem et Cicestrensem electos pariter consecravit; Gaufridus vero, Lincolnensis electus, quia nondum electio ejus fuerat confirmata, transfretavit, in propria persona Romam iturus vel ad ipsam nuntios transmissurus.

*Quod omnes filii regis Anglorum ad pacem patris sunt reversi.*

A.D. 1175. Anno Domini MCLXXV. Lodowicus, rex Francorum, et comes Flandrensium, sumptibus a<sup>1</sup> tædiosis affecti, quos pro rege Anglorum juvene impenderant, et damna sibi ac suis illata et interfectiones ad memoriam revocantes, promiserunt se velle ab infestatione Normanorum animum revocare; unde filios regis Angliæ, quos paternam maledictionem, odium cleri, populorum imprecationem noverant incurrisse, ut ad patris gratiam redire possent, summopere satagebant. Rex [Angliæ] igitur, per internuntios omnes adversarios suos ad pœnitentiam revocatos intelligens, ipsos Cenomannis ad suum venire colloquium procuravit, ubi a Gaufrido primitus et Richardo, filiis suis, homagium et fidelitatem accepit. Post dies autem paucos, apud Burum

---

<sup>1</sup> Wanting in C.

in Normannia venit ad eum rex filius ejus, cum archi- A.D. 1175.  
episcopo Rothomagensi et aliis episcopis et baronibus multis, et cum multa lachrymarum effusione ad pedes patris prostratus misericordiam precabatur; rex autem motus pietate super filio, quem totis visceribus diligebat, intelligens eum ex corde loqui, iram et omnem ei indignationem remisit, atque ejus homagium, addito juramento, suscepit. Omnibus igitur bene pacificatis et osculis undique ex corde collatis, rex pater milites nongentos et sexaginta novem, quos tempore belli ceperat, sine redemptione a vinculis solvit; paucos vero, quorum facinus enorme principem mansuetissimum ad iracundiam provocaverat, arctiori custodiae tradidit mancipandos; rex vero filius eodem modo milites quos jure belli ceperat, quorum numerus ad centum et eo amplius excreverat, sine pecunia relaxavit. Tunc rex pater literas in omnes fines suae dominationis formam hujus pacis continentes direxit, ut omnes, quos generale discrimen belli affixerat, communis lætitia recrearet; continebant insuper literæ, quod omnia castella, quæ munita fuerant tempore belli contra ipsum, ad illum redigerentur statum in quo erant quando guerra incepit.

*Willelmus, rex Scotorum, pacem fecit cum rege  
Anglorum.*

Eodem anno Willelmus, rex Scotorum, apud Falesiam tentus in vinculis, cum rege Anglorum pacem fecit in hunc modum sexto idus Decembris; Rex Scotorum devenit homo ligius regis Anglorum de regno Scotiæ et omnibus terris suis, et homagium fecit ei et ligantiam ut domino suo speciali, et Henrico filio ejus, salva fide patris sui; et similiter omnes episcopi cum comitibus ac baronibus de regno Scotiæ, de quibus rex Anglorum homagium voluit et fidelitatem habere; et non solum sibi sed et successoribus regis

A.D. 1175. ipsi et successores sui in perpetuum, sine malo ingenio. Rex præterea Scotorum et omnes homines sui nullum amodo fugitivum de regno Angliæ receptabunt in Scotia, nec in alia terra sua; sed rex Scotiæ et homines ejus eum capient et illum regi Anglorum vel suis justiciariis reddent. Pro hac autem conventionione et fine firmiter observando dedit rex Scotorum regi Anglorum et successoribus suis castella de Berewic, de Rokesburc,<sup>1</sup> in perpetuum possidenda; et, si rex Scotorum aliquo tempore contra hoc venire tentaverit, episcopi Scotiæ cum comitibus et baronibus contra regem suum tenebunt, et episcopi terram ejus sub interdicto ponent, donec ad regis Anglorum obsequium revertatur. Igitur rex Scotorum, datis obsidibus, rediit in Angliam, sub libera deputatus custodia, donec castella, quæ regi pepigerat, pro illius arbitrio redderentur. Castella vero per Angliam et Normanniam multorum, quæ tempore discriminis inter patrem et filium constructa fuerant, passim eversa sunt, rege jubente.

*Reges Anglorum, pater et filius, beatum Thomam petierunt.*

A.D. 1176. Anno Domini MCLXXVI. reges Anglorum, pater et filius, in Angliam venientes per dies singulos in eadem mensa sunt refecti, et idem thalamus fomenta quietis eisdem de noctibus ministravit; et properantes simul, ut beatum Thomam martyrem egregium visitarent, cum omni humilitate orationum vota et mansuetudine peregerunt; indeque per Angliam pariter profecti pacem singulis et justitiam, tam clericis quam laicis, promiserunt et id opere compleverunt. Eodem anno Willelmus de Brausia multitudinem Wallensium in castello de Bergeveni callide convocatam prohibuit, ne quis cni pulum ferret viator vel arcum, sed, illis

---

<sup>1</sup> Rokebure in C.



hujusmodi decreto contradicentibus, capitali omnes <sup>A.D. 1176.</sup> sententia condemnavit; qui, ut proditionis suæ nequitiam quasi sub velamine honestatis palliatam intelligas, hoc fecit in ultionem avunculi sui Henrici de Hereford, quem ipsi in sancto sabbato Paschæ antea peremerunt.

Eodem anno Richardus, Cantuariensis archiepiscopus, in diocesi sua, quæ ab antiquis temporibus uno tantum fuerat archidiacono contenta, ultimis hiis diebus tres archidiaconos constituit, Savaricum scilicet, Nicolaum et Herøbertum. Eodem anno Johannes, decanus Sarisberiensis, consecratus est antistes Norwicensis.<sup>1</sup>

Nec multo post rex Anglorum fecit complanari castella de Legecestria, Huntendonia, Waletonia, de Grobi et Stutesberi, de Haie et de Tresc, et alia quamplurima, in ultionem injuriarum, quas ipsi frequenter intulerant domini castellorum; deinde idem rex, per consilium filii sui et episcoporum, constituit justiciarios per sex partes regni, in qualibet parte tres, qui juraverunt, quod cuilibet jus suum conservarent illæsum.

*Petro, Romanæ sedis legato, rex Anglorum quatuor capitula concessit.*

Veniente eodem tempore in Angliam Petro Leone, legato sedis apostolicæ, quatuor ei rex concessit capitula, quæ sequuntur, in regno Angliæ observanda; Primo, quod clericus de cætero non trahatur ante judicem secularem personaliter pro aliquo crimine vel transgressione, nisi pro foresta et laico feodo, unde regi vel alii domino seculari laicum debetur servitium; secundo, ut archiepiscopatus, episcopatus, vel abbatiae non teneantur in manu regis ultra annum,

---

<sup>1</sup> The four preceding words wanting in C.

A.D. 1176. nisi pro causa evidenti vel necessitate urgente; tertio concessit, ut interfectores clericorum convicti vel confessi coram justiciario regni, præsente episcopo, puniantur; quarto, quod clerici duellum facere non cogantur.

Eodem anno Johanna filia regis, Siculo regi nuptura, quinto idus Novembris apud sanctum Ægidium in conspectu virorum illustrium tradita est marito; quo utique tempore universa Angliæ castella sunt ad imperium regis custodiæ deputata.

Hoc quoque tempore Willelmus, comes Gloverniæ, cum filium non haberet, ægre ferens hæreditatem inter filias dividere, Johannem Sine-terra regis filium [sibi] constituit successorem.

*Quod reges extranei discordes regis Anglorum sese arbitrio subdiderunt.*

Circa dies istos Aldefonsus, rex Castellæ, gener regis Angliæ, et Sancius, rex Navarorum, avunculus ejus, discordes ad invicem, missis ad regem Angliæ legatis, se staturos illius arbitrio juraverunt. Nuntii quoque apud Westmonasterium in præsentia regis, episcoporum, comitum, et baronum, constituti proponebant, illi, qui causam Aldefonsi regis tuebantur, Sancium, regem Navarorum, memorato regi Castellæ, dum adhuc pupillus esset et orphanus, castella et terras, Logtonium videlicet, Navarret, Anthlena, Aptol et Agosen, cum pertinentiis suis, quæ pater suus, die quo decessit, et ipse post aliquot annos quiete possederat, injuste et violenter abstulisse, unde domino suo restitutionem fieri postulabant; illi autem, quibus causa Sancii regis commissa fuerat, nihil eorum quæ ab aliis proposita fuerant contradicentes, asserbant Aldefonsum præfatum Sancio prænominato castella, Legin scilicet, Portel, et castellum quod tenet Godin, per guerram et injuste abstulisse; parte altera in nullo

sibi contradicente, eorum domino suo fieri restitutionem A.D. 1176  
 pari instantia flagitabant; nuntii præterea in jure  
 confessi sunt palam, inter reges præfatos treugas usque  
 in septennium, fide interposita, fuisse firmatas. Rex  
 igitur Anglorum, habito cum episcopis, comitibus et  
 baronibus concilio super querelis prætaxatis, hinc inde  
 violenter et injuste ablati, cum nihil contra violentiam  
 utrinque propositam a parte alterutra responderetur  
 alterutri, nec quicquam, quo minus restitutiones  
 quas petebant faciendæ essent, allegaretur, plenariam  
 utrique parti supradictorum, quæ<sup>1</sup> in jure petita erant,  
 restitutionem judicavit; adjunxit etiam, treugas præ-  
 fatas inter eos fide firmatas usque ad constitutum  
 terminum esse inviolabiliter observandas; judicavit  
 etiam pro bono pacis, ut rex Aldefonsus donet libera-  
 liter Sancio regi singulis annis usque ad decennium  
 tria millia marabotinorum, et sic pacem haberent ad  
 invicem et perpetuam amicitie firmitatem. In eisdem  
 sane diebus nuntii Manuelis, Constantinopolitani im-  
 peratoris, nuntii Romani imperatoris Frederici, nuntii  
 Willelmi, Treverensis archiepiscopi, nuntii Henrici,  
 ducis Saxonici, nuntii Flandrensis comitis Philippi,  
 quos varia trahebant negotia, tanquam ex conducto,  
 pridie idus Novembris in curia regis Anglorum simul  
 apud Westmonasterium convenerunt; hæc ideo dicimus,  
 ut notum sit omnibus, quantæ rex Henricus sapientie  
 fuerit quantæque magnificentie, ad cujus audientiam  
 totius fere orbis consilia et dubia principum discu-  
 tienda judicia pervenerunt.

*De remotione ab ecclesia de Waltham canonicorum  
 secularium.*

Anno Domini MCLXXVII, amotis ab ecclesia Wal- A.D. 1177  
 thamhensi canonicis, quos seculares vocant, introducti  
 sunt regulares auctoritate summi pontificis in vigilia

<sup>1</sup> Qui in D.

A.D. 1177. Pentecostes, rege procurante Henrico et præsentē; et eadem die Radulphus, Cicestrensis canonicus, de manu Londoniensis episcopi curam ecclesiæ prædictæ suscipiens, ipsi tanquam diocesano de canonica subjectione servanda verbis se obligavit expresse, et, fratribus cum eo introductis, prior est ab eodem episcopo assignatus, et in sua sede solemniter collocatus. Quo etiam tempore rex Anglorum, regno pro sua voluntate disposito, decimo quinto kalendas Septembris in Normanniam transfretavit, et, confestim inter regem Francorum et ipsum habito colloquio, hoc modo concordiam ineunt<sup>1</sup>; “Ego Lodowicus, rex Francorum, et ego Henricus, rex Anglorum, volumus ad omnium notitiam pervenire, nos, Deo inspirante, promisisse et juramento confirmasse, quod simul ibimus in servitium Crucifixi, et ituri Hierosolymam suscipiemus<sup>2</sup> signaculum sanctæ crucis, et amodo volumus esse amici ad invicem, ita quod uterque nostrum alteri conservabit vitam et membra et honorem terrenum contra omnes homines; et, si quæcumque persona alteri nostrum malum facere præsumperit, ego Henricus juvabo Lodowicum, regem Francorum, dominum meum, contra omnes homines; et ego Lodowicus juvabo regem Anglorum Henricum contra omnes homines, sicut fidelem meum, salva fide quam debemus hominibus nostris quamdiu nobis fidelitatem servabunt.” Acta autem sunt hæc aqud Minantcurt septimo kalendas Octobris.

*De fundatione monasterii de Westwode.*

A.D. 1178. Anno Domini MCLXXVIII. Richardus de Luci, Angliæ justiciarius, tertio idus Junii fundamenta jecit ad construendam ecclesiam conventualem in honorem beati Thomæ martyris in loco, qui vocatur Westwode, in

<sup>1</sup> Intereunt in C.

| <sup>2</sup> Suscipimus in D.

territorio Rofensi. Eodem anno rex Anglorum Henricus, cum per omnes provincias suæ potestatis, quæ vel Francorum limitibus, vel montibus Pyrenæis, vel Britannico vicinantur oceano, munitiones obtinisset et omnia pro velle disposuisset, idibus<sup>1</sup> Junii beati Thomæ martyris visitavit sepulchrum; et, paucis inde diebus evolutis, Gaufridum filium suum octavo idus Augusti aquâ Wodestoke cingulo militari donavit. A.D. 1178.

*De revelatione sancti Amphibali cuidam viro facta.*

Eodem anno vir quidam, beati Albani martyris burgum inhabitans et loci illius indigena, inter convicaneos suos sine querela vixit. Hic ab ineunte ætate, quantum substantiæ mediocritas permittebat, honeste vivens, devotus ecclesiæ exstitit frequentator. Dum igitur una noctium in strato jaceret, circa gallicinium intravit quidam decori vultus et statura procerus ejus cubiculum, ut sibi videbatur, qui vestibus indutus candidis virgam in dextra pulcherrimam bajulabat, in cujus ingressu domus confestim tota resplenduit et quasi claritas solaris interiora cubiculi perlustravit; qui lecto appropinquans jacentem vocavit, et, si dormiret, leniter requisivit; "Roberte," inquit, "dormis?" Expavit autem<sup>2</sup> Robertus timore vehementi, et supra modum admirans ait, "Quis es, domine?" Et ille; "Ego sum martyr Albanus, qui ad hoc venio, ut annuntiem tibi Domini voluntatem de magistro meo," inquit, "clerico videlicet illo, per quem [fidem Christi] suscepi, [de quo] inter homines sermo frequens habetur, et, cum spes fidelium sit quod futuris temporibus debeat revelari, locus tamen ejus sepulturæ ab omnibus ignoratur. Surgens ergo velociter circunda tibi vestimentum tuum et sequere me, et

<sup>1</sup> Idus in D.

| <sup>2</sup> Wanting in C.

A.D. 1178. "ostendam tibi sepulchrum pretiosis ejus reliquiis  
 — "insignitum." Surgens ergo Robertus, ut sibi videbatur, secutus est eum, et versus aquilonem in strata publica gradientes pervexerunt pariter, donec ad planitiem quandam ab antiquo incultam, quæ sita est juxta viam regiam, pervenerunt; habebat autem focus ille gratam planitiem, tam pascuis quam fessis in via hominibus ad pausandum aptam, in villa, quæ Redburnia nuncupatur, tribus ferme milliaribus a sancto distans Albano. In hac sane planitie duo colliculi eminebant, qui "Colles vexillorum" dicebantur, eo quod circa illos populares fiebant concursus<sup>1</sup> quando populus fidelis ex antiqua traditione solemnem processionem annuatim ecclesiæ sancti Albani debita cum veneratione persolvit. Tunc sanctus Albanus a via paululum declinavit, et, apprehensa manu viri, duxit eum ad unum de colliculis, qui sepulchrum beati martyris continebat. Deinde, converso ad eum vultu, "Hic," inquit, "locus magistri mei reliquias tenet, hic "ejus ossa contegit et conservat;" et sic fatus pollice viri terram instar crucis aperuit,<sup>2</sup> et, eversa cespitis modica portione, quoddam scrinium reseravit, ex quo splendor nimius exiens orbem occiduum illustravit et primo lucis suæ radios in mundi latitudinem copiose diffudit; quo facto, capsula recluditur et loci planities in statum pristinum reformatur. Stupet vir ille, et, quid sibi super his sit agendum, a sancto postulat edoceri; ad quem beatus Albanus, "Signa locum diligenter, et, quæ meo tibi sunt revelata ministerio, "firmiter adhæreant menti tuæ; veniet enim e proximo tempus, quando hæc instructio tua specialis "generali profectui militabit;" et hiis dictis, "Surge," inquit, "eamus hinc, et ad locum unde recessimus "revertamur." Illis autem per viam qua venerant

---

<sup>1</sup> Recursus in C.

| <sup>2</sup> Apparuit in D.

revertentibus, sanctus suam intravit ecclesiam, et A.D. 1178. homo ille domum suam ingressus proprio sese lecto — recepit.

*Quod vir præfatus visionem sibi ostensam revelaverit.*

Vir autem mane expergefactus, in ancipiti positus, fluctuabat, utrum sub silentio præteriret, an aliis, quæ in visu, vel potius, ut præsumebat, re, corporaliter gesta didicerat, revelaret; si enim sileret, peccare metuebat in Deum; si rem publicaret, sannas<sup>1</sup> hominum verebatur. Ista tandem animo sæpe revolvens homo, timore Dei humanum absorbuit; et, licet adhuc verbum hoc communibus esset auribus absconditum, domesticos tamen suorum et privatos effecit consocios secretorum. Illi autem, quod dicebatur in tenebris, in lumine proferebant, et, [quod] in aure audierant, super tecta prædicabant. Factum est autem, ut<sup>2</sup> hoc anno verbum istud per totam disseminaretur provinciam, adeo quidem ut ipsius frequentia monasterii beati martyris Albani claustrum intraret. Denique fama desiderata<sup>3</sup> quibusdam perferentibus, ad abbatem Simonem penetravit, cujus post Deum auctoritate negotium illud robur erat specialiter habiturum; qui protinus gratiæ Dei laudes persolvit, et, communicato consilio, electos de conventu fratres aliquot ad locum, quem vir ille ostensurus erat, eodem viro prævio, destinavit. Conventus domi devotis orationibus incumbibat, et fratres ductorem suum sequentes, videre martyrum reliquias properabant; quo demum pervenientes invenerunt ibidem fidelium multitudinem, quos Spiritus Sanctus de diversis provinciis in unum collegerat, ut inventioni martyris interessent. Illis eventum rei præstolantibus, sæpe dictus homo præcedebat,

<sup>1</sup> Sanas in C.

<sup>2</sup> In in C.

<sup>3</sup> Wanting in C.

A.D. 1178. fratribus planitiem ostendens sanctorum corpora continentem. Erat autem feria sexta ante solemnitatem beati Albani quando hæc facta sunt, qua ejusdem sancti passio celebratur. Ab illo ergo die, usque quo elevati fuerunt sancti, loco illi custodia non defuit, sed fratres jugiter cum laicis adfuerunt. Conventus interim continentiam vitæ suscepit arctioris, et, statuto cum processione orationum suffragio, solemne jejunium populo prædicatur. Jam locus ille futuræ inventionis nundinarum similitudinem præferebat, et recedentibus aliis, quos fervor devotionis adduxerat, alii quotidie succedebant.

*De duabus mulieribus ibi curatis, dum sanctus  
quæreretur.*

Porro signorum initia, quæ adhuc sancti martyres in corde terræ latentes in auspiciis spei melioris patrabant, multorum poterunt testimonio confirmari; mulier namque quædam de Gatesdene, scapularum et renum debilitate per decem annos detenta, jam propter ægritudinis turpitudinem marito despectui habebatur; quæ, proprios egressa fines et per Redburniam transitum faciens, juxta sanctorum martyrum decubuit sepulturam, nec de loco surrexit donec sanitati pristinæ redderetur. Altera de Dunestaplia, nomine Cecilia, in hydropisis ægritudine annis sexdecim<sup>1</sup> transactis, habentis in utero similitudinem præferebat hæc ad loca prædicta suæ salutis avida perveniens illico optatam recepit sanitatem. Item puella quinquennalis, quæ nunquam a nativitate pedes incesserat, semper parentum ministerio portabatur; hæc, quod multi fidelium conspexerunt, juxta locum prætaxatum collocata, cum paululum obdormisset, exsiliit et incessit, parentumque suspiria in lætitiâ commutavit.

---

<sup>1</sup> Sedecim in C.



*De miraculo dolii, et diligentia quærendi.*

Illuxit interea sancta solemnitas beati Albani mar- A.D. 1178.  
 tyrio consecrata, quam, in se claram, istorum publicatio  
 miraculorum reddidit clariorem. Admonentur fideles  
 ad eleemosynas largiores, singulis usus parcior alimen-  
 torum indicitur, et iterata in crastinum processio  
 instauratur, sed interpositi quoque dies nequaquam  
 otioso transiere discursu; sed usque in horam inven-  
 tionis sanctorum miraculis evidentibus coruscabat.  
 Nempe vir quidam de Kingesberia, fodientes et sanctos  
 quærentes irridens, nocte cum aliis venit ad locum,  
 pari quidem via, sed voluntate diversa; qui confestim  
 arreptus a dæmonio furiosum evidenter expressit, et  
 vestes dirumpens abiecit, et, qui alios deridens spectare  
 venerat fodientes, spectaculum omnibus est effectus;  
 cumque, cunctis videntibus, diutius torqueretur, corri-  
 pientis Dei manus cessavit, et demum castigatus in-  
 columis ad propria repedavit. Alius autem sanctos  
 quærentes verbis subsannatoriis illudens statim divinæ  
 subjacuit ultioni, nam inter loquendum gravi correptus  
 incommodo in brevi blasphemum spiritum exhalavit.  
 Algarus de Dunestaplia, cum ad locum eundem dolium  
 celia plenum ad vendendum rheda portari fecisset,  
 accessit ad eum æger quidam et pauper, rogans sim-  
 pliciter ob martyris amorem, cujus inventionem popu-  
 lus exspectabat, ut sitim, qua premebatur, potu modico  
 relevaret; incaudit Algarus ad verba ægroti ira vehe-  
 menti, asserens se illuc non causa martyris advenisse,  
 sed ut lucrum quocumque modo auget. Adhuc illo  
 pauperem in hunc modum convitiante, et ecce utroque  
 fundo dolii impetuose evulso, in <sup>1</sup> platea cervisia funde-  
 batur, sicque factum est, ut cujus portiunculam, mar-  
 tyris nomine spreto, negaverat, procurante sancto, non

<sup>1</sup> Wanting in C.

A.D. 1178. solum pauper ille, sed et alii multi cum eo, fixis in terram genibus, sufficienter, nullo prohibente, potarent. Repressa igitur, martyre procurante, perversorum nequitia, devotio fidelium recipit quod meretur; nam tribus continuis qui sequebantur diebus decem utriusque sexus homines a diversis infirmitatibus, ad laudem Dei et beati martyris, receperunt pristinam sanitatem.

*De inventione sancti Amphibali cum novem sociis suis.*

Clarescente interim die, quem sanctorum inventio consecrabat, venerabilis pater Simon abbas locum adiit sanctissimum, et celebratis in capella, loco illi contiguo,<sup>1</sup> in venerationem beati martyris, nostræ redemptionis mysteriis, monachis, qui aderant, ut diligenter quærent, et pluribus adhibitis fossoribus ut ceptis insisterent, imperavit. Fuerat autem capella illa antiquitas in honorem martyris fabricata propter frequentes cœlestis radios lucis, qui pastoribus vigilias noctis super gregem suum agentibus ibidem apparuerant; unde dictus abbas, in eodem loco divina celebrans sacramenta, super instanti negotio beati martyris auxilium imploravit. Reverso itaque domum abbate et jam cum conventu ad prandium sedente, legebatur passio beati martyris, quem quærebant, et sociorum ejus, per quam carnis ergastulo soluti promeruerunt gloriam sempiternam. Dum igitur sævitia judicis, lictorum immanitas, martyrum patientia, et mors prolixius recitata pias mentes conventus in fletus et suspiria commovisset, beatum Amphibalum cum tribus sociis suis repertum, accurrens aliquis nuntiavit. Quid ergo? Suspiria mutantur in laudes, et tristitiæ successit lætitiæ magnitudo. Exurgens a mensa congre-

---

<sup>1</sup> Contigua in D.

gatio ad ecclesiam festinanter procedit, et lætitiã A.D. 1178. corde conceptam elevatis laudibus protestatur. Inventus est autem beatus martyr Amphibalus inter duos socios medius et collateralis ambobus, tertio socio quasi ex transverso et ab opposito locum solitarium occupante. Inventi sunt etiam prope locum illum numero sex ex sociis martyrum prædictorum, ita quod beatus martyr Amphibalus decimus habebatur. Inter reliquias athletæ Christi Amphibali cultelli duo magni inventi fuerunt, unus in testa capitis et alter circa præcordia, ut verum esse insinuent quod in libello passionis ejus scripto antiquis temporibus continetur. Ut enim habet passionis illius textus, alii occubuerunt gladiis cæsi; ipse vero, visceribus primo patefactis et intestinis ejectis, et post lanceis confossus et cultellis, occubuit tandem lapidibus conquassatus, unde nullum fere ex ossibus ejus integrum apparebat, cum sociorum ipsius ossa illæsa penitus exstitissent.

*Quod reliquie sancti Amphibali apud sanctum  
Albanum sunt translatae.*

Abbas autem, ut diximus, audito nuntio desiderato, adjuncto sibi priore [cum] aliquot fratribus de conventu, sanctorum celeriter adiit sepulturas, et effossas reliquias erigens in linteaminibus idoneis collocavit; metuensque supra modum fraudem plebis et vim turbæ undique confluentis, quam a compressione inventi thesauri arcere non poterat, unde placuit abbati, ut martyres sancti in beati Albani basilicam portarentur, ubi custodia diligentior et securitas amplior poterat adhiberi. Quid multa? Redeunt cum abbate fratres separatim sanctorum corpora deferentes. Procedit martyribus obviam cum processione conventus, corpus secum beati Albani martyris deportantes, quod cum aliquoties<sup>1</sup> consueverit, prout ejus portatoribus<sup>2</sup>

<sup>1</sup> Aliquotens in C.

| <sup>2</sup> Portitoribus in D.

A.D. 1178. constat, satis existere ponderosum, tantam sui facilitatem illa hora exhibuit, ut volare potius quam humeris ferentium incumbere videretur; occurrit ergo martyr martyribus, magistro discipulus, et jam palam magistrum recepit revertentem, quem habebat olim clam fidei doctorem in tugurio latitantem. Sed miraculum, quod in elementis suis Dominus ostendere dignatus est cum obviantes se primitus reliquæ pariter convenerunt, non debet sub silentio præteriri; cum enim siccitas prolixior, exustis herbis et fructibus, diutius perdurasset et agricolas desperatos reddidisset, eodem momento, cum in aere nec minima appareret nebula, tanta pluviarum inundatio prorupit, ut copiose descendentes imbres terram irrorarent et desperatæ messis spem promitterent lætiores. Inventus est autem pretiosus martyr Amphibalus cum sociis suis, et in ecclesiam beati Albani cum canticis et laudum præconiis solenniter delatus anno a passione sua octingentesimo octuagesimo sexto, ab incarnatione Domini millesimo centesimo septuagesimo septimo, die sabbati, septimo kalendas Julii. In præsentia autem sanctarum reliquiarum ipsius, necnon et in loco sepulturæ ejus, ad laudem Dei et gloriam martyris, adversis infirmitatibus sanantur ægroti, membra paralytica solidantur, mutorum ora ad loquendum laxantur, cæcis tribuitur visus, surdis auditus, claudis firmatur gressus, et, quod magis magnificum est, arrepti a dæmonio liberantur, epileptici<sup>1</sup> sanantur, leprosi mundantur, et ad vitam mortui revocantur. Si quis autem miraculorum, quæ per sanctos suos divina operatur clementia, notitiam habere desiderat, libellum legat, qui de signis ejus et virtutibus clarus habetur, et nos ad alia festinantes a lectore veniam postulamus.

---

<sup>1</sup> Epileptici in D.

*Quod juvenis rex Henricus torneamenta exercuerit.*

Anno Domini MCLXXIX. Henricus, rex Anglorum A.D. 1179 junior, mare transiens in conflictibus Gallicis et profusioribus expensis<sup>1</sup> triennium peregit, regiaque majestate prorsus deposita, totus est de rege translatus in militem, et, flexis in gyrum frænis, in variis congressibus triumphum reportans sui nominis famam circumquaque respersit; sic igitur, cum nil ei deesset ad gloriam, rediit ad patrem et ab eo honore debito est receptus.

Eodem anno Lodowicus, rex Francorum, beatum Thomam martyrem orationis gratia visitare decernens, Angliam, quam nec ipse nec suorum aliquis antecessorum aliquo tempore visitaverat, devotus intravit. Rex autem Anglorum, navem apud Doveram egredienti Francorum regi, undecimo kalendas Septembris festinanter occurrit, cui, quicquid honoris ab aliquo excogitari potuit vel impendi, tam ipsi quam suis comitibus est impensum; concurrentibus enim archiepiscopo Cantuariensi cum suis suffraganeis episcopis, cum comitibus et baronibus, cum clero et populo, solennis processio in tanti adventum principis majorem ecclesiam illustravit. Quantum auri vel argenti Gallicanæ nobilitati rex Henricus contulerit, quantumque in vasis et lapidibus pretiosis omnes honoravit, cum non sit qui hoc sciat, desit qui scribat. Centum vini modios rex Francorum annuatim in perpetuum Parisius solvendos ob reverentiam martyris gloriosi in usus collegii Cantuariensis convertit. Rex autem<sup>2</sup> Henricus gazas totius regni sui, quicquid ipse et antecessores ejus in divitiis conghesserant, regi Francorum et suis exposuit; sed, ne Franci aliud quam martyrem quæsisse viderentur, manum a munere cohibentes, martyrium forsitan ex oblati pertulerunt in

<sup>1</sup> Post inserted in D.| <sup>2</sup> Wanting in C.

A.D. 1179. mente. Sic rex Francorum, cum in vigiliis, jejuniis et orationibus Cantuariæ triduum complevisset et xeniola quædam parva a rege Anglorum in signum dilectionis accepisset, septimo kalendas Septembris ad Galliam transfretavit.

Eodem anno Rogerus, Wigorniensis episcopus, obiit quinto idus Augusti.

*De concilio Romæ habito, præside papa  
Alexandro.*

Eodem anno habitum est Romæ concilium generale trecentorum et decem episcoporum decimo quarto kalendas Aprilis in patriarchio Lateranensi, cui præsedit dominus papa Alexander tertius, cujus statuta omni laude dignissima sub viginti octo, quæ sequuntur, capitulis continentur: De electione summi pontificis; De hæreticis Albegensibus et diversis eorum appellationibus; De ruptariis et Brebantiis prædonibus, qui fideles affligunt; Quod nullus promoveatur in episcopum vel ad aliquem ordinis gradum, nisi legitimæ sit ætatis et de legitimo matrimonio susceptus; Ne,<sup>1</sup> viventibus personis, ecclesiæ conferantur, nec, illis defunctis, ultra sex menses vacent; De appellationibus; Ne infra sacros ordines constituti, vel qui ecclesiasticis sustentantur stipendiis, rebus se immisceant secularibus; De treugis statuendis et temporibus treugarum; Quod clerici unam habeant tantum ecclesiam, et quod episcopus, si aliquem sine certo ordinaverit titulo, tandiu necessaria inveniat donec ei in aliqua ecclesia stipendia assignet; Ne patroni vel quilibet laici ecclesias opprimant aut ecclesiasticas personas; Ne Judæi vel Sarraceni Christiana mancipia permittantur habere, sed, ad fidem Christi si converti voluerint, a

---

<sup>1</sup> Ve in D.; De in C.

possessoribus<sup>1</sup> suis nullatenus excludantur; Ut leprosi, A.D. 1179. si excluduntur a cohabitatione hominum, oratorium habeant et proprium sacerdotem; Ne bona ecclesiastica in usus alios convertantur, nec decani pro certa pecuniæ quantitate jurisdictionem exerceant episcopalem; Ut<sup>2</sup> in electionibus vel ecclesiasticis ordinationibus consequatur effectum, quod a majoris et senioris<sup>3</sup> concilii parte fuerit constitutum; Quod usurarii manifesti ad communionem altaris non admittantur, nec Christianam habeant sepulturam; Ut agricolæ et viatores, et omnia quæ sua sunt, plena ubique pace et securitate lætentur; Ut ordinationes a schismaticis factæ irritæ habeantur et inanes, et beneficia ab eis collata revocentur; Ne pro ecclesiasticis instituendis personis, seu mortuis sepeliendis, aut nubentibus benedicendis, vel aliis ecclesiæ sacramentis, aliquid exigatur; Ne viri religiosi vel quilibet alii ecclesias vel decimas præsumant de manu suscipere laicorum sine auctoritate episcoporum, et non semel in anno Templarii sive Hospitalarii ecclesias sub interdicto positas aperiant, nec corpora sepelire tunc præsumant; Ne quis inventu pecuniæ habitum religionis usurpare præsumat, nec conversus peculium habeat, nec facti prælati non nisi pro dilapidatione<sup>4</sup> vel incontinentia degradentur, Ne Christiani Saracenis arma vendant, nec patientes<sup>5</sup> naufragium quisquam spoliare præsumat; Ut clerici infra sacros ordines constituti continenter vivant, et si in illa continentia, quæ contra naturam sit, deprehensi fuerint laborare, excommunicentur et a clero abjiciantur; Ut archiepiscopi parochias vel ecclesias visitantes quadraginta vel quinquaginta equorum numero sint contenti, episcopi viginti vel triginta, legati viginti vel viginti quinque, archidiaconi quinque vel

---

<sup>1</sup> Possessionibus in D.

<sup>2</sup> Et in C.

<sup>3</sup> Sanioris in C.

<sup>4</sup> Dilapidationem in D.

<sup>5</sup> Patientibus in D.

A.D. 1179. septem, decani duarum<sup>1</sup> evectionem numerum non excedant; Ut nullus torneamenta exercere præsumat, et mortui in torneamentis Christiani careant sepultura; Quod unaquæque cathedralis ecclesia magistrum habeat, qui pauperes scholares et alios doceat, nec pro licentia docendi aliquis pretium exigat; Ut prælati unam tantum regant ecclesiam, et quod patroni ab ecclesiis in suo fundo constitutis, exactiones non faciant; Ne episcopi seu viri ecclesiastici stare compellantur iudicio laicorum, nec laici laicis decimas conferre præsumant; Si quis ab aliquo, commodata pecunia, possessiones in pignus acceperit, si, deductis expensis, sortem suam receperit ex fructibus possessionis, pignus restituat debitori.

*Epistola papæ Alexandri contra hæresim Petri  
Lumbardi.*

Delatum fuit præterea ejusdem papæ apostolatu, quod magister Petrus Lombardus in quibusdam scriptis suis ab articulis fidei deviavit, unde Willelmo, Senonensi archiepiscopo, literas sub hac forma direxit: “ Alexander episcopus, servus servorum Dei, Willelmo, “ Senonensi archiepiscopo, salutem. Cum in nostra “ olim esses præsentia constitutus, tibi viva voce “ injunximus, ut, suffraganeis tuis Parisius tibi ascitis, “ ad abrogationem pravæ doctrinæ Petri, quondam “ Parisiacensis episcopi, qua dicitur, quod Christus, “ secundum quod est homo, non est aliquid, omnino “ intenderes<sup>2</sup> et efficacem operam adhiberes.<sup>3</sup> Inde “ siquidem est, quod fraternitati tuæ per apostolica “ scripta mandamus, quatenus, quod tibi, cum præ- “ sens esses, præcepimus,<sup>4</sup> suffraganeos tuos Parisius “ convoces, et una cum illis et aliis viris religiosis et

<sup>1</sup> Duorum in D.  
<sup>2</sup> Intendens in D.

<sup>3</sup> Adhibens in D.  
<sup>4</sup> Præcipimus in D.



“ prudentibus præscriptam doctrinam studeas penitus <sup>A.D. 1179.</sup>  
 “ abrogare, et a magistris scholaribus ibidem in theo-  
 “ logia studentibus Christum, sicut perfectum Deum,  
 “ sic et perfectum hominem ac verum hominem ex  
 “ anima et corpore consistentem, præcipias edoceri;  
 “ universis firmiter et districte injungens, quod doctri-  
 “ nam illam de cætero nequaquam docere præsumant,  
 “ sed ipsam penitus detestentur.”

*De libello abbatis Joachim, quem scripsit contra  
 Petrum Lombardum.*

Scripsit etiam eisdem diebus contra eundem Petrum Lombardum abbas Joachim Florensis cœnobii libellum, vocans eum hæreticum et insanum, eo quod in libro sententiarum, quem composuerat, idem Petrus de unitate sive essentia Trinitatis dixit, Quoniam quædam summa res est, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, et illa non est generans, neque genita, nec procedens. Contra hanc assertionem opposuit abbas præfatus, quod non tam trinitatem adstruebat in Deo, quam quaternitatem, tres videlicet personas et illam communem essentiam quasi quartam manifeste protestans; quod nulla res est quæ sit Pater et Filius et Spiritus Sanctus, nec essentia, nec substantia, nec natura, quamvis concedat, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt una essentia, una substantia, et una natura; et hanc suam assertionem idem Joachim his quæ sequuntur auctoritatibus affirmat, “ Tres sunt, qui testimonium  
 “ dant in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, et  
 “ hii tres unum sunt; et tres sunt, qui testimonium  
 “ dant in terra, spiritus, aqua et sanguis, et hii tres  
 “ unum sunt;” item, “ Volo, Pater, ut sint unum in  
 “ nobis, sicut et nos unum sumus.” Unde videtur, quod sæpe dictus Joachim hujusmodi unitatem non veram et propriam, sed quasi collectivam et similitudinariam esse fateatur, quemadmodum multi homines dicuntur unus populus, et multi fideles una ecclesia.

*Quod papa Innocentius libellum Joachim damnavit.*

A.D. 1179. Stetit autem hæc indeterminata altercatio a diebus Alexandri papæ usque in tempora Innocentii papæ per annos multos, sedentibus inter eos in cathedra Romana Lucio, Urbino, Gregorio, Clemente et Cælestino, pontificibus Romanas; quibus succedens Innocentius tertius, anno Domini millesimo ducesimo decimo quinto, Romæ generale concilium celebrans, libellum abbatis Joachim, quem contra Petrum et articulum ediderat prædictum, his verbis damnavit: "Nos," inquit, "sacro et universali approbante concilio, credimus et confitemur cum Petro, quod una quædam summa res est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quæ veraciter est Pater et Filius et Spiritus Sanctus, tres simul personæ ac sigillatim<sup>1</sup> quælibet earundem; et ideo in Deo solummodo trinitas est et non quaternitas, quia quælibet trium personarum est illa res, substantia videlicet, essentia seu divina natura, quæ sola est universorum principium, præter quam aliud inveniri non potest; et illa res non est generans, neque genita, neque procedens, sed est Pater qui generat, et Filius qui gignitur, et Spiritus Sanctus qui procedit, ut distinctiones sint in personis et unitas in natura. Licet enim alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud; Pater enim ab æterno Filium generando suam substantiam ei dedit, juxta quod ipse testatur, Pater quod dedit mihi, majus omnibus est. Et dici non potest, quod partem suæ substantiæ illi dederit, et partem retinuerit ipse sibi, cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino; sed nec dici potest, quod Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando

---

<sup>1</sup> Singillatim in C.

“ illum, quasi sic dederit eam Filio, quod non retinu- A.D. 1179.  
 “ erit ipsam sibi, alioquin desiisset esse substantia ;  
 “ Filius vero substantiam Patris integram nascendo  
 “ accepit, et ita Pater et Filius eandem habent sub-  
 “ stantiam, et eadem res est Pater et Filius, necnon  
 “ et Spiritus Sanctus ab utroque procedens et in utro-  
 “ que manens ; non enim, ut ait abbas Joachim, fideles  
 “ Christi sunt unum, id est,<sup>1</sup> una quædam res quæ  
 “ communis sit omnibus, sed sunt unum in unione  
 “ caritatis, in gratia ; pro personis vero divinis, ut  
 “ attendatur, identitatis unitas in natura. Damnamus  
 “ igitur et reprobamus libellum Joachim sive doctri-  
 “ nam, ita ut, si quis ejus sententiam in hac parte  
 “ defendere vel approbare præsumperit, tanquam hæ-  
 “ reticus ab omnibus habeatur.” De hoc papa et  
 concilio memorato latius suo loco dicetur.

*Quod Philippus consecratur in regem Francorum.*

Eodem anno Philippus, filius Lodowici regis Fran-  
 corum, in solemnitate Omnium sanctorum per manum  
 Willelmi, Remensis archiepiscopi, in eadem civitate  
 consecratur in regem, patre adhuc vivente et tantæ  
 coronationi omnia necessaria ministrante.

Eodem tempore Cadwallanus, princeps Wallensium,  
 coram rege Anglorum tractus in causam et multorum  
 querelis impetitus, dum sub regis conductu remeasset,  
 in itinere hostium perpressus insidias interfectus est  
 decimo kalendas Octobris, quod plurimum in regis  
 redundavit scandalum, licet non deliquerit ; unde auc-  
 tores cædis graviter puniri præcepit.

---

<sup>1</sup> Wanting in D.

*Confederatio facta inter reges Anglorum et Francorum.*

A.D. 1180. Anno Domini MCLXXX., habito inter regem Francorum Philippum, nuper coronatum, et regem Anglorum Henricum, colloquio inter Gisortium et Triam, sic convenit inter eos: "Ego Philippus, Dei gratia rex Francorum, et ego Henricus, eadem gratia rex Anglorum, ad omnium volumus pervenire notitiam, quod foedus et amicitiam fide media innovavimus et sacramento;<sup>1</sup> et, ut omnis amodo inter nos auferatur occasio discordiæ, concessimus ad invicem, ut de terris nostris et possessionibus, et de omnibus aliis rebus, quas habemus modo, alter adversus alterum nihil amodo petet, excepto de Avernia, de qua inter nos est contentio, et excepto feodo de castro Radulphi, et exceptis minutis feodis nostris et divisis terrarum nostrarum de Berri. Si autem super his, quæ excepta sunt, per nosmetipsos venire non poterimus, ego Philippus tres elegi episcopos et barones, et ego Henricus totidem, qui inter nos dicent, et nos eorum iudicio stabimus firmiter et bona fide." Eodem tempore Lodovicus, rex Francorum, Parisius diem clausit extremum decimo quarto kalendas Octobris, et sepultus est in monasterio Cisterciensis ordinis, Barbellum nuncupatum, quod etiam propriis sumptibus inchoatum idem rex laudabiliter consummavit.

*Quod Richardus, comes Pictavensis, terras Gaufridi de Liziniaco graviter afflixit.*

Per idem tempus Aquitanorum dux Richardus et Henrici regis filius, per superbiam Gaufridi de Rancona multis sæpe lacesitus injuriis, collectis undique militaribus copiis, Taileburc, castellum ejusdem Gau-

---

<sup>1</sup> Confirmavimus inserted in C.

fridi, obsidione vallavit, opus desperatissimum et quod A.D. 1180. suorum nullus antecessorum attentare præsumpsit; castrum enim illud ante dies illos hostium cuneis prorsus incognitum, triplici fossato totidemque mœniis vestitum, seris, armis et repagulis sufficienter instructum, turribus per intervalla dispositis insignitum, comportato lapide in propugnaculis munitum, abundans in victualibus, refertum militibus et hominum millibus<sup>1</sup> ad pugnam idoneis, ducis Richardi non expavit adventum; sed, postquam dux<sup>2</sup> ipse leonibus audacior regionem hostiliter introivit, fructus prædiorum abduxit, vites succidit, villas succendit, omnia demoliendo contrivit, prope castellum tentoria fixit, machinas prope murum erexit, oppidanosque nil tale suspicantes exterruit<sup>3</sup> vehementer. Inclusis autem, quia res ignominie plena videbatur, tot elatæ mentis, tot probatæ virtutis milites<sup>4</sup> intra muros sine reclamazione valida circumcingi, placuit de consilio communi, ut foras erumperent et impeterent ducis exercitum improvise; quod cum animose satis attentassent, dux suos in armis ruere docuit, et retrorsum cedere compulit oppidanos; sed in illo portarum ingressu, cum dux insequeretur terga dantes, fit gravissimus hinc inde conflictus, dum ibi, quid equus, quid lancea, quid ensis, quid arcus, quid galea, quid ballista, quid umbo, quid lorica, quid sudes, quid clava certantibus conferant, experitur. Oppidanis itaque assultus ducis acerrimos ultra ferre non valentibus, sed intra mœnia se recipientibus, dux impiger certatim se pariter intra villam immiscet cum hostibus, et, cum ipsis nusquam locus [pateret] diffugii, per plateas hinc inde discurritur, rapinis insistitur et incendiis, et ab hiis oppidanis, quos a mortis discrimine felix fortuna eruit, ad castellum confugitur princi-

<sup>1</sup> Et hominum millibus wanting in C.

<sup>2</sup> Dux wanting in C.

<sup>3</sup> Exercuit in C.

<sup>4</sup> Militis in D.

A.D. 1180. pale; castelli dominus ad deditionem compellitur, facies murorum pulcherrima complanatur, alia passim castella rebellionis conscia par infra mensem subiere discrimen. Omnibus igitur ad votum completis, dux transfretavit in Angliam, maximo cum honore receptus a patre.

*Quod rex Francorum Philippus regnum suum sub dispositione regis Angliæ commisit.*

A.D. 1181. Anno Domini MCLXXXI. cum rex Francorum Philippus<sup>1</sup> quibusdam de suis sibi ad memoriam reducentibus, cognovisset qualiter rex Anglorum regnum suum tam late diffusum a tam barbaris nationibus, Scotis scilicet et Wallensibus, pacifice gubernaret, de communi consilio domesticorum suorum prædicti regis dispositioni omne regnum suum et se ipsum commisit; hoc etiam exemplo rex Anglorum ductus, cum totam Normanniam filii sui regis dispositioni supponeret, octavo kalendas Augusti in Angliam transiens beatum Thomam martyrem orationis gratia visitavit.

Eodem anno Rogerus, Eboracensis archiepiscopus, diem clausit supremum duodecimo kalendas Decembris, qui adhuc vivens a papa Alexandro privilegium impetraverat, ut, si clericus suæ jurisdictioni suppositus, agens in extremis, testamentum conficeret et propriis manibus bona sua moriens non distribueret, archiepiscopus haberet facultatem injiciendi manus in bona defuncti; et, quoniam quod quisque juris in alterum statuerit, uti debet eodem jure, post mortem archiepiscopi quæcumque reperta sunt in thesauris ejus justo sunt Dei judicio confiscata, quorum summa fuit undecim millia libræ argenti et aurei trecenti, [una] cuppa aurea et argenteæ septem, scyphi argentei

---

<sup>1</sup> Cum inserted in D.

novem, tria salsaria argentea, tres coppæ murtinæ, A.D. 1181.  
 cochlearia quadraginta, octo scutellæ argenteæ, pelves  
 argenteæ et discus magnus argenteus.

*Epistola Alexandri papæ ad Johannem Presbyterum,  
 regem Indorum.*

Circa eosdem dies papa Alexander scripsit Presbytero Johanni, Indorum regi, in hæc verba; "Alexander episcopus carissimo in Christo filio salutem et apostolicam benedictionem. Audieramus jam pridem, referentibus multis, quomodo, cum sis Christianam religionem<sup>1</sup> professus, piis velis operibus incumbere diligenter; sed dilectus filius noster Philippus medicus, qui de intentione propria et proposito tuo cum magnis et honorabilibus viris tui regni se in partibus illis verbum habuisse proponit, sicut vir providus constanter nobis retulit, se manifestius ab his audivisse, quod tuæ voluntatis sit et propositi erudiri in catholica et apostolica disciplina, et ad hoc ferventer intendas, ut tu et cuncta plebs tuæ sublimitati commissa nihil unquam videamini in fide vestra tenere, quod a doctrina sedis apostolicæ dissentiat. Illud etiam ad commendationem tuæ virtutis accedit, quod, sicut prædictus Philippus se a tuis asserit audivisse, ferventi desiderio cuperes in urbe habere ecclesiam et Hierusalem altare aliquod, ubi viri religiosi de regno tuo et prudentes manere possent et apostolica plenius instrui disciplina, per quos tu et homines tui doctrinam ipsam facilius reciperent et tenerent. Nos autem vos ab hiis articulis, in quibus erratis a Christiana et catholica fide, revocare volentes, præfatum Philippum ad tuam mittimus magnitudinem; per quem

---

<sup>1</sup> Wanting in C.

A.D. 1181. " de articulis fidei Christianæ, in quibus tu et tui a  
 " nobis discordare videmini, in proximo per fidei<sup>1</sup>  
 " gratiam eruditus nihil prorsus timere poteris, quod  
 " de errore tuam vel tuorum salutem præpediat, vel  
 " in vobis nomen Christianitatis obfuscet."

*Quod papæ Alexandro Lucius successit.*

Eodem anno obiit papa Alexander postquam sedisset in cathedra Romana annis viginti duobus; successit ei Hunbaldus, Hostiensis episcopus, et vocatus est Lucius tertius, sedens in ecclesia apostolica annis quatuor. Eodem tempore Philippus, rex Francorum, duxit uxorem Margaretam filiam Baldewini, comitis Hamaucensium, ex Margareta sorore Philippi, comitis Flandrensis, susceptam. Eodem anno, moneta veteri in Anglia reprobata, nova successit in festo sancti Martini. Eodem anno Baldewinus, abbas Fordensis, Cisterciensis ordinis, successit Rogero episcopo ad ecclesiam Wigornensem.

*Quod Gaufridus, Lincolnensis electus, renuntiavit electioni.<sup>2</sup>*

A.D. 1182. Anno Domini MCLXXXII. Gaufridus, Lincolnensis electus et regis Anglorum filius, cum ejus electio esset a domino papa confirmata, postquam per septennium eidem ecclesiæ<sup>3</sup> pacifice præfuisset, præsentem rege et episcopis regni, in epiphania Domini apud Marlebergiam electioni<sup>4</sup> renuntiavit, nemine compellente. Eodem tempore rex Henricus apud Waltham, in præsentia procerum regni, ad subventionem terræ sanctæ quadraginta duo millia marcas argenti et quingentas

<sup>1</sup> Dei in C.

<sup>2</sup> Electionem in D.

<sup>3</sup> Wanting in C.

<sup>4</sup> Electionem in D.



marcas<sup>1</sup> auri liberaliter assignavit, et sic in Norman- A.D. 1182.  
niam transfretavit.

Quibus utique<sup>2</sup> diebus dux Saxonum Henricus et gener regis ab imperatore in exilium pulsus in Normanniam venit ad regem, ducens secum ducissam et duos filios ejus, Henricum et Othonem; et per tres annos exhibitus est a regali munificentia in omnibus vitæ necessariis abundanter.

Eodem anno Walterus de Constantiis, archidiaconus Oxoniensis, consecratus est episcopus Lincolniensis a Richardo, Cantuariensi archiepiscopo, Andegavis, in ecclesia sancti Laudi. Eodem anno obiit Walterus, Rofensis episcopus.

*De morte Simonis abbatis et successione Guarini.*

Anno Domini MCLXXXIII., defuncto Simone, abbate A.D. 1183.  
de sancto Albano, Warinus, ejusdem ecclesiæ prior, successit, et in die nativitatis Dei genitricis abbatis benedictionem suscepit.

*De morte Henrici, regis juvenis.*

Circa dies istos rex Henricus diligentem operam impendit, ut filii ejus, Gaufridus de Britannia et Richardus de ducatu Aquitanniæ, homagium facerent filio suo primogenito regi Henrico. Quod quidem pater petiit, Gaufridus de comitatu Britanniae gratanter complevit; Richardus vero, cum rogatus a patre id ipsum facere debuisset, ira incanduit vehementi, incongruum esse dicens, cum eodem patre et ex eadem matre ducerent originem, si, patre vivente, fratrem primogenitum aliqua subjectionis specie superiorem agnoscerent; sed, sicut fratri primogenito bona debentur.

<sup>1</sup> The four preceding words wanting in D.

U 23058.

<sup>2</sup> Wanting in C.

A.D. 1188. tur paterna, sic in bonis maternis Richardus successionem legitimam vendicabat. Hæc audiens rex pater, iracundiæ calore succensus, adversus Richardum dura proposuit, et, ut rex junior ad edomandam fratris superbiam totus insurgeret, constanter indixit. Habitis igitur inter se colloquiis frequenter, cum nulla spes de pace haberetur, rex juvenis undique copiosum congregavit exercitum, et, dum congredi cum fratre suo decrevisset, præcisa est, velut a texente, vita ejus, qui spem multorum deficiens præcidit; siquidem in flore juventutis suæ, cum annum ætatis vigesimum octavum complevisset, intra Gasconiam, in illo tractu terræ quæ Turonna dicitur, apud castellum Martel in festo sancti Barnabæ apostoli rex junior e medio est subtractus; corpus autem in lineis vestibus, quas habuit in consecratione sacro chrismate delibutas, regaliter involutum apud Rothomagum delatum est, et in ecclesia cathedrali prope majus altare cum honore tanto Principi congruo tumulatur.

Eodem anno Girardus, cognomento Puella, consecratus episcopus Coventrensis, qui, cum decem septimanis sedisset, in fata concessit.

Eodem tempore Walterus de Constantiis, Lincolnensis antistes, in Angliam veniens in sua sede est solenniter collocatus.

A.D. 1184. Anno Domini MCLXXXIV. Richardus, Cantuariensis archiepiscopus, apud Hallingum, villam Rofensis episcopi, diem clausit extremum.

Eodem anno rex Henricus duxit in Angliam Saxonie ducem cum familia sua, et infra dies paucos ducissa apud Wintoniam peperit filium, quem vocavit Wilhelmmum.

Eodem anno Baldewinus, episcopus Wigorniensis, electus est archiepiscopus Cantuariensis, et Walterus Lincolnensis electus est archiepiscopus Rothomagensis, qui, susceptis palliis, in suis sunt sedibus solenniter collocati.

Eodem tempore Philippus, archiepiscopus Coloniensis, A.D. 1184. et Philippus, comes Flandrensis, venerunt in Angliam vota orationum beato Thomæ martyri soluturi, quibus rex Anglorum occurrens petiit ut Londonias venirent visuri regiam civitatem; in quorum adventu, quod ante non erat visum, civitas coronata resplenduit, gaudium et tripudium per omnes plateas intonuit civitatis. Archiepiscopus vero Coloniensis et cum eo comes Flandrensis in ecclesia sancti Pauli suscepti sunt processione solenni; et die eodem simili honore sibi exhibito, tandem per quinque dies in palatio regis expensis sunt effusioribus hospitati, sed, an multis muneribus donati recesserunt, quærere superfluum videretur.

Eodem anno obiit Jocelinus, Saresburiensis episcopus.

*Quod Saraceni Hispaniæ Christianos invadentes  
confusi recesserunt.*

His denique diebus, circa festum beati Johannis Baptistæ, rex Saracenorum qui sunt in Hispania, Gamius, duxit regem regum Saracenorum, nomine Macemunt, intra fines Christianorum cum regibus triginta septem; qui inprimis obsederunt sanctum Hirenæum, et tribus diebus cum totidem noctibus pugnaverunt, et tandem, dejectis mœniis, intraverunt; qui autem interius muros defendebant se intra<sup>1</sup> turrim receperunt, ut protegerentur ibidem. Nocte vero sequenti venit antistes Portugalensis cum filio regis, et quindecim millia peremerunt Saracenorum et regem Gamium, et posuerunt corpora defunctorum ubi murus dejectus erat, ut per ea loco muri defenderentur. In crastino autem, in die scilicet sanctorum Johannis et Pauli, archiepiscopus sancti Jacobi viginti millia conduxit armatorum, et in aurora diei de Saracenis tri-

---

<sup>1</sup> Infra in D.

A.D. 1184. ginta millia interfecit. In die postea beatæ Margarethæ apud Alcubaz peremerunt Saraceni decem millia mulierum et infantum; sed illi, qui fuerunt in oppido Alcubaz, exeuntes tres reges cum omni eorum exercitu percusserunt. Postea, in vigilia beati Jacobi, rex Macemunt audivit quod rex Galliciæ venerat, ut solus cum solo dimicaret; Macemunt, cum præpararet se ad pugnam, dum equum vellet ascendere, ter ab eo lapsus interiit; quo mortuo, totus ejus exercitus fugit, omni pecunia relicta. Rex vero Portugalensis ex captivis Saracenis dedit servos, qui cementariis ministrarent ad ecclesias reparandas, et de pecunia sancto Vincentio auream fecit thecam. Venerunt postmodum galeiæ infinite Saracenorum apud Ulixebonam, ducentes dromundum, in quo talis erat machina, quod per ipsam Saraceni poterant ire et redire ultra muros civitatis armati; sed, Deo disponente, quidam in aqua se dromundo supposuit, et, eo perforato, submersit. Saraceni autem se delusos esse cognoscentes fugerunt, omnia, quæ sua fuerant, relinquentes.

*Quod Guido de Liziniaco regni Jerusalem constituitur procurator.*

Regnavit sub hiis diebus in Hierusalem Baldewinus, Amalrici quondam regis filius, qui ab initio regni elephantino laborans incommodo jam lumen amiserat, et, putrescentibus membrorum extremitatibus, pedes ei et manus suum officium denegabant; regiam tamen administrationem, licet corpore debilis esset animo fortis, supra vires nitebatur implere. Convocatis itaque principibus suis, matre præsentem et patriarcha, Guidonem de Liziniaco,<sup>1</sup> comitem Joppensem et Ascalonitanum, regni constituit provisorem. Habuit idem Guido sororem regis uxorem, nomine

---

<sup>1</sup> Briniaco in C.

Sibillam, quæ prius marchisio de Monte-Ferrato matrimonio copulata filium ex illo suscepit nomine Baldewinum; sed cum, aliquanto tempore Guidone procuratore existente, Hierosolymitanum non prospere regnum, rex, amoto eo, Reimundo, comiti Tripolitano, regni curam commisit. A.D. 1184.

*Quod Salaadinus, Soldanus Babylonis, plures civitates Christianorum destruxit.*

Contigit hac tempestate, ut Salaadinus, Soldanus Damasci, subjugatis omnibus regibus Saracenis in finibus totius orientis, ita ut diceretur rex regum et dominus dominantium, cum ei obedirent omnium gentium nationes, adjiciens ergo ut universam sibi Christianitatem subjugaret, intrante Julio mense, Jordanem transivit, terram circa castrum Crach, quod antiqua appellatione Petra deserti dicebatur, devastavit, cibaria collegit. Deinde Neapolim transiens villam spoliavit et postea concremavit; inde progrediens ad urbem Sebastæam pervenit, ubi episcopus civitatis villam et ecclesiam suam octoginta captivis redemit; inde Arabiam veniens eam destruxit, viris et mulieribus captivatis. Ad magnum inde Gerinum transiens castrum diruit, et, quibusdam captivatis, mulieres et parvulos interfecit; inde ad parvum Gerinum, quæ villa est Templi, eam vastavit, et recedens per castrum quoddam Hospitalis, quod Belverium dicitur, quibusdam captis et quibusdam interfectis, recessit.

*Quod rex Anglorum eligitur in regem Hierosolymarum.*

Mortuo interea Baldewino, rege Hierosolymarum leproso, regnavit pro eo Baldewinus, puer quinque annorum, nepos ejus ex sorore Sibilla et Willelmo, marchione Montis-Ferrati, genitus; qui statim in

A.D. 1184. regem coronatus Reimundo, comiti Tripolitano, committitur nutriendus. Videntes igitur clerus et populus regnum in eum devenisse statum, in quem non posset diu subsistere, quid facto opus sit, diligenter pertractant; et cum<sup>1</sup> pax Salaadini haberetur suspecta, et de rege puero nihil remedii sperabatur, tandem unum erat omnibus consilium, ut ad Henricum regem Anglorum legatos mitterent, qui ei ex parte universitatis regni Hierosolymitani regnum offerrent et claves sanctæ civitatis et sepulchri Domini sanctæque resurrectionis solemniter deportarent. Heraclius patriarcha officium legationis rogatus suscepit, qui, adjuncto sibi magistro Hospitalis et quibusdam aliis, Mediterraneum mare transivit, et Romam usque perveniens ad regem Anglorum literas a papa Lucio precatórias impetravit.

*Quod Heraclius patriarcha in Angliam veniens regi electionem de se factam publicavit.*

A.D. 1185. Anno Domini MCLXXXV. Heraclius, patriarcha sanctæ resurrectionis, et dominus Rogerus, magister domus Hospitalis Hierusalem, venerunt ad regem Angliæ Henricum apud Redingum; qui, cum sui itineris causas cum literis apostolicis exposuissent, sanctæ civitatis Hierusalem et terræ promissionis desolationem per ordinem enarrassent, regem et omnem multitudinem, quæ convenerat, in lachrymas et suspiria provocarunt; deferebant enim ad regem memorabilia suæ petitionis signa, nativitatis Jesu Christi, passionis, resurrectionis, turris David, sanctique sepulchri claves et vexillum regni, quæ omnia rex non mediocriter honoravit. Literæ vero domini papæ hæc inter cætera continebant;

---

<sup>1</sup> Wanting in C.

*Epistola Lucii papæ ad regem Anglorum.*

“ Lucius episcopus, servus servorum Dei, et cætera. A.D. 1185.  
 “ Cum cuncti prædecessores tui præ cæteris terræ  
 “ principibus armorum gloria et animi nobilitate  
 “ longe retro claruerunt, eosque fidelium populus ha-  
 “ bere<sup>1</sup> in sua didicerit adversitate patronos, merito  
 “ ad te, non tantum regni sed paternarum hæredum  
 “ virtutum, quadam securitate præsumpta recurritur,  
 “ ubi populo Christiano imminere periculum immo  
 “ exterminium, formidatur, ut per brachium regiæ  
 “ magnitudinis [Ejus] membris impendatur præsidium,  
 “ qui te ad tantæ gloriæ apicem pervenire sua pie-  
 “ tate, concessit, et te contra sui nominis impugna-  
 “ tores nefarios murum inexpugnabilem ordinavit.  
 “ Porro noverit vestra serenitas, quod Salaadinus ille,  
 “ sancti nominis Crucifixi immanissimus persecutor,  
 “ ita nunc in spiritu furoris contra Christi fideles  
 “ terræ sanctæ adeo invaluit, quod, nisi immanitatis  
 “ ejus impetus objectis obicibus reprimantur, habet  
 “ fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus,” et  
 cætera.

*Quod rex Henricus regnum Hierosolymarum  
recusavit.*

His auditis, rex Anglorum, convocato clero regni ac populo, convenerunt Londoniis apud Fontem-clericorum decimo quinto kalendas Aprilis<sup>2</sup> cum universa nobilitate regni, ubi dictus rex, audientibus patriarcha et magistro domus Hospitalis, omnes fideles suos multis adjurationibus astrinxit, quatenus proferrent in medium, quid super hiis saluti animæ suæ viderint expedire; ad hoc enim asserit animum suum inclinatum, ut, quod ex eorum consilio acciperet, modis

<sup>1</sup> Wanting in C.| <sup>2</sup> Rex inserted in D.

A.D. 1185. omnibus observaret. Tunc concilium universum super præmissis colloquentes, sanius visum est<sup>1</sup> et animæ regis multo salubrius, ut regnum suum debita moderatione gubernet et illud a barbarorum irruptione tueatur, quam orientalium consulat in propria persona saluti; de filiis regis quidem, quorum aliquem petiit patriarcha si rex venire recusaret, quicquam statuere, cum essent absentes, incongruum videbatur.

Eodem anno Johannes, filius regis, a patre militari- bus accinctus armis apud Wyndleshoram pridie kalendas Aprilis, in Hiberniam transfretavit; quo facto, rex Henricus cum patriarcha, mari transito, diem Paschæ apud Rothomagum celebravit. Rex Francorum, audito regis Anglorum adventu, cum festinatione venit apud Vallem-Ruil castellum, ubi reges in colloquiis familiaribus triduo perstiterunt et in eorum præsentia multi nobiles cruce signati sunt; sed ipsi reges patriarchæ nihil aliud in responsis dederunt, nisi quod uterque terræ sanctæ festinum promiserunt auxilium, non enim leve eis videbatur ab extremis finibus occidentis rem tam arduam attentare; patriarcha vero, cujus negotium in arcto erat positum, spe frustratus ad propria remeavit.

Eodem anno Hugo de Lacio, dominus provinciæ quæ Media dicitur, interfectus est octavo kalendas Augusti.

Eodem tempore Simon comes Huntendon, cum absque liberis decessisset, rex Anglorum dedit comitatum illum<sup>2</sup> regi Scotorum Willelmo cum pertinentiis suis.

Eodem anno Gilbertus de Glanvilla, archidiaconus Luxoniensis, consecratus est episcopus Rofensis tertio kalendas Octobris.

In eodem tempore dux Saxonum Henricus licentia imperatoris rediit ad propria, suo tantum patrimonio contentus.

---

<sup>1</sup> Cunctis inserted in C.

| <sup>2</sup> Illud in D.



*Quod Baldewinus, Cantuariensis archiepiscopus,  
pallium et legatiam suscepit.*

Anno Domini MCLXXXVI. Baldewinus, Cantuariensis A.D. 1186. archiepiscopus, pallium cum legatione in provincia sibi subdita accepit.

Eodem anno Willelmus de Ver, in festo beati Laurentii, Herefordensis est consecratus antistes.

Eodem anno Gaufridus, comes Britanniae et filius regis Angliae, diem clausit supremum decimo quarto kalendas Septembris, et sepultus est Parisius in ecclesia beatae Mariae in<sup>1</sup> choro canonicorum; reliquit autem duas filias, quas genuerat ex Constantia uxore sua, filia scilicet Conani comitis Britanniae, quae etiam tempore quo vir ejus obiit gravida fuit, quae postea filium pariens Arturum illum vocavit.

Eodem anno Hugo, genere Burgundus et prior Carthusiensis ordinis in Anglia, consecratus est episcopus Lincolnensis in festo sancti Matthaei; et eadem die Willelmus de Norhale consecratus est Wigorniensis episcopus. Eodem anno, defuncto papa Lucio, Urbanus successit. Per idem tempus Johannes,<sup>2</sup> praetor Exoniensis, ejusdem ecclesiae consecratus est antistes.

*Quod papa Urbanus Baldewino, Cantuariensi archiepiscopo, concessit ut<sup>1</sup> construeret ecclesiam apud Akintonam.*

Eodem tempore papa Urbanus Baldewino, archiepiscopo Cantuariensi, scripsit in haec verba; "Praesentium tibi auctoritate mandamus, ut liceat tibi ecclesiam in honorem beatorum martyrum Stephani et Thomae construere, et de idoneis jam ornare personis, quibus beneficia, quae ad eorum sustentationem constitueris, canonice debeas assignare. Item

<sup>1</sup> Intra in D.

| <sup>2</sup> Wanting in D.

A.D. 1186. "fraternitati tuæ mandamus, ut quarta parte oblatio-  
 — num, quæ ad reliquias beati Thomæ martyris offe-  
 runtur, monachorum usibus concessa, quarta fabricis  
 ecclesiæ deputata, quarta pauperibus erogata, quartam  
 portionem liceat tibi in alios usus bonos pro tuæ  
 voluntatis arbitrio erogare."

*Quod Sibilla in reginam Hierosolymarum  
 coronatur.*

Circa dies istos, Baldewino puero rege Hierosolymarum defuncto, non erat qui ei in regnum succederet, præter Sibillam, uxorem Guidonis comitis Joppensis, quæ soror erat regis leprosi et regis pueri nuper defuncti mater; sed quoniam tempus instabat, ut treugæ inter Salaadinum et populum Christianum constitutæ solverentur, regni provisio jam in arcto posita erat, nec differri potuit quin de illius ordinatione illico tractaretur. Convocato igitur procerum concilio, in hoc pariter consenserunt, ut Sibilla, Guidonis uxor, tanquam hæres justissima regum prædictorum coronaretur in reginam, ita tamen quod Guidonem, qui regno insufficiens erat regendo, solemniter repudiaret. Respuit Sibilla regnum sibi sub tali conditione oblatum, donec proceres id generaliter illi concesserunt et juramento firmaverunt, ut, quem ipsa maritum eligeret, omnes ipsi sicut regi et domino fideliter obedirent; Guido etiam vir ejus suppliciter postulabat, ne pro suo damno regni provisio differretur. Illa tandem cum lachrymis tamen adquiescens coronata est solemniter in reginam, et omnium fidelitatem, adhibito juramento, suscepit; et Guido vir ejus, sine spe conjugis et regni, ad sua divertit. Nuntiatum interea Salaadini hostilis adventus, quod nec a vero distabat, unde regina, convocatis edicto regio tam viris ecclesiasticis quam secularibus, de rege habuit eligendo tractatum; et quoniam id sibi prius ab omnibus con-

cessum fuerat, ut quem vellet maritum eligeret, exspectantibus rei exitum universis, regina Guidoni, qui inter alios adstabat, voce clara dixit, "Domine mi Guido, ego te in maritum eligo, et me simul cum regno tibi tradens te regem futurum publice pro testor." Ad hanc vocem omnes stupefacti admirabantur valde, quod tot viros prudentes una mulier ita simplex delusit. Laudabilis plane fœmina et tam pudicitia quam prudentia præconiis extollenda; sic enim negotium temperavit, et regnum viro ut<sup>1</sup> sibi virum obtineret.

Factus est his diebus per orbem universum terræmotus magnus et horribilis, ita ut etiam in Anglia, ubi raro contingit, multa ædificia subverterentur.

Contigit autem his diebus matrem Salaadini ab Ægypto in partes transire Damascenas in apparatu magno et divitiis copiosis, quæ de fide treugarum præsumens per fines regionis, quæ trans Jordanem sunt, secure perrexit; in cujus comitatum Reginaldus de Castellione temere irrumpens divitias diripuit universas, veruntamen mater Salaadini fuga periculum declinavit. Commotus inde Salaadinus restitutionem ablatorum et super injuriis satisfactionem sub pactione fœderis postulavit, conventus autem super hiis Reginaldus de Castellione a Salaadino dure nimis et contumeliose respondit; Salaadinus vero, lætus supra modum, quod in parte Christianorum diruptæ erant treugæ, ad vindictam provocatus accingitur ad certamen.

*Quod Salaadinus terram sanctam depopulatur.*

Anno Domini MCLXXXVII. Salaadinus contra Christianos indignatione succensus Parthos, Bedewinus, Turcos, Saracenos, Arabes, Medos convocat et Cordinos, et his omnibus cum Ægyptiis stipatus fines Christianorum conterit et conturbat; et jam, non contentus

<sup>1</sup> Et in D.

A.D. 1187. quod parva quædam in Galilæa occupaverit præsidia, Calvariam obsidere proponit. Cum omnium igitur machinarum genere illuc properaret, Magistrum militiæ Templi cum fratribus sexaginta et Christianorum multitudine itinerando peremit et cum palma martyrii ad cælestia regna transmisit; hac igitur Salaadinus victoria exhilaratus ad obsidionem Calvariæ festinans contendit. Rex autem Hierusalem, ut urbem audit obsidione vallatam et inclusos vehementer affligi, edicto regio omne regni robur convocavit; illis solummodo in castrorum præsidio relictis, quos ætatis et sexus infirmitas armorum prorsus habebat immunes. Castra igitur moventes a fonte<sup>1</sup> Sephoritano, ubi convenerant, stipati militum viginti millibus incesserunt. Præfecto itaque exercitui Reimundo, comite Tripolitano, versus Tiberiam<sup>2</sup> sunt profecti; cumque funesta dies certaminis instaret, camerario regis visio tremenda contigit, videlicet quod aquila quædam Christianum transvolaret exercitum, quæ missilia septem gerens in pedibus voce terribili personaret, "Væ vobis Hierusalem, væ vobis!" Ad hujus visionis expositionem sufficere nimirum credimus, quod Spiritus Sanctus de reprobis loquitur per prophetam, "Tetendit Dominus arcum suum, et in eo paravit vasa mortis."

*De captione sanctæ crucis et regis Hierusalem  
a Salaadino.*

Audiens autem Salaadinus, quod rex in succursum veniret obsessorum, venientibus audacter occurrit, et, cum eos in scopulis angustis et præruptis inclusos cognovisset, non longe a Tiberiade,<sup>3</sup> in loco qui Marescallia dicitur, in regis exercitum irruit confidenter; igitur Christiani hostes viriliter exceperunt;

<sup>1</sup> Monte in C.

<sup>2</sup> Tabariam in D.

<sup>3</sup> Tabaria in D.

quantum locorum angustiae permittebant. Pugnatum A.D. 1187. est acriter hinc et inde et multi corruerunt interfecti, sed tamen, exigentibus Christianorum peccatis, praevaluit tandem pars adversa; nam, ut aiunt, comes Tripolitanus, militiae princeps, vexillum regis in terram proditiose demittens Christianos fecit fugam meditari, sed quo fugerent, nisi in hostes, non habentes. Rex Guido captus est cum cruce sancta, et omnis multitudo eorum capta fuit vel gladiis interfecta; evaserunt tamen ab hac clade comes Tripolitanus licet omnibus suspectus, dominus Reginaldus Sydonis patronus, atque dominus Balianus cum paucis fratribus militiae Templi. Facta est autem haec misera belli congressio quinto scilicet et quarto nonas Julii, infra octavas apostolorum Petri et Pauli. Evasit etiam ab hac clade Theodoricus, Magister militiae Templi, qui ipsa die ducentos et triginta de fratribus amisit. Comes Tripolitanus hoc quod sine sanguinis effusione evaserat, in argumentum sumebatur contra ipsum, quod in regem et populum Dei proditiose egisset. Capti sunt etiam cum cruce ejus bajulatores episcopus Aconensis et praecentor Dominici sepulchri, ille caesus et iste captus pariter cum ipsa succumbunt; sicque capitur crux sancta propter peccata hominum, et, quae nos a veteri captivitatis jugo absolvit, pro nobis captiva ducitur et profanis gentilium manibus contrectatur.

*Quod sancta civitas cum tota fere terra Hierosolymitana a Salaadino subjugatur.*

Salaadinus itaque victoria potitus Tiberiadem revertitur, et, solo praesidio quod supererat capto, regem cum caeteris quos ceperat Damascum transmisit. Deinde Galilaeam invadens universa pro libitu occupavit, et veniens Ptolomaidam sine sanguinis eam effusione suscepit. Inde Hierosolymam festinans urbem

A.D. 1187. obsidet, machinas in gyrum locat; cives quas possunt defensiones objiciunt, sed arcus, balistæ, petrarïæ effectu carent et inutiliter contrectantur; vulgus vero pavidum ad patriarcham et reginam, qui tunc urbi præerant, flebiliter supplicans instat, ut cum Saladino de urbe tradenda conveniant. Pactio tandem intercedit magis dolenda quam memoranda, nam, singuli capitis sui censum statuentes, vir bisantios decem, mulier quinque, infans unum persolveret, et quisquis qui ad [hæc] non sufficit tenetur captivus; erant autem in civitate<sup>1</sup> quatuordecim millia utriusque sexus hominum, qui ad hoc non sufficientes jugum subierunt perpetuæ servitutis. Reddita est civitas sancta inimicis Christi, et sepulchrum possident, qui persequuntur Sepultum; crucem tenent, qui Crucifixum blasphemant. Ingressus itaque civitatem Saladinus cum strepitu tympanorum et tubicinum ad templum properabat, et cruce quæ in eo erecta stabat deposita, ejectisque quæ Christiani venerabantur, templum intus et extra aqua lustrabat rosacea, et sic erroris sui superstitiones per quatuor angulos templi magno fecit strepitu conclamari; ecclesiam sanctæ resurrectionis et sepulchrum Dominicum cum locis aliis venerabilibus quibusdam Syrianis sub certo constituit tributo; et inde festinanter progressus urbes omnes circumquaque positas et oppida subjugavit, præter Ascalonem et Tyrum, et Crach ultra Jordanem, quod alio nomine dicitur Mons-regalis.

*Prohibitio papæ ne ecclesia de Akintona construatur.*

Eodem anno papa Urbanus scripsit Baldewino, Cantuariensi archiepiscopo, pro negotio conventus ecclesiæ ejusdem in hæc verba; "Dilecti filii nostri, prior et " conventus ecclesiæ tibi commissæ, ad nostram præ-

---

<sup>1</sup> Ad inserted in C.

“sentiam literas et nuntios destinantes proposuerunt A.D. 1187.  
 “de ecclesia, quam ædificare cœpisti, tantum sibi et  
 “ecclesiæ dispendium proventurum, quod, nisi fuerit  
 “ab ejus constructione cessatum, præscripta ecclesia  
 “suæ honestatis et status miserabile suscipiet detri-  
 “mentum; nos autem sollicite providere volentes, ne  
 “inter te et fratres tuos materia remaneat jurgiorum,  
 “cum non possunt convenienter intendere divinis  
 “obsequiis, qui sunt in contentionibus, de consilio  
 “fratrum nostrorum monemus fraternitatem et dis-  
 “trictè præcipimus, quatenus, donec causa cognita  
 “statuamus quid de ipsa fieri debeat, omni occasione  
 “et appellatione postposita, ab illius ecclesiæ con-  
 “structione desistas, literis aliis non obstantibus a  
 “sede apostolica impetratis.”

Eodem anno, mortuo papa Urbano, Gregorius suc-  
 cessit, qui, cum sedisset duobus mensibus, defunctus  
 est, et Clemens tertius decimo tertio kalendas Januarii  
 surrogatur. Eodem anno Gilebertus, Londoniensis  
 episcopus, naturæ debitum solvit.

Eodem anno Richardus, comes Pictaviensis, cum  
 audisset calamitatem terræ sanctæ et de capta cruce,  
 non exspectata alicujus prædicatione vel patris sui  
 consilio aut voluntate, primus inter proceres trans-  
 marinos signaculum crucis suscepit de manu archi-  
 episcopi Turonensis.

*Quod ad prædicationem crucis multi cruce  
 signantur.*

Anno Domini MCLXXXVIII. Fredericus, Romanorum A.D. 1188.  
 imperator, ad prædicationem Henrici, Albanensis epis-  
 copi et apostolicæ sedis legati, que a papa Clemente  
 missus fuerat, crucem Christi suscepit; et eodem tem-  
 pore rex Francorum Philippus et rex Anglorum Hen-  
 ricus in Normannia pro subventionem terræ sanctæ ad  
 colloquium venientes inter Triam et Gisortium, post

A.D. 1188. longos tractatus, præsentem comitem Flandrensem Philippo, in hoc pariter consenserunt, ut, sumpto crucis signaculo, iter Hierosolymitanum socialiter expedirent. Rex igitur Anglorum primo crucis signaculum suscepit de manibus archiepiscoporum Remensis et Willelmi Tyrensis, quorum ultimus a domino papa super negotio crucis officium legationis susceperat in partibus occidentis. Deinde rex Francorum et Philippus, comes Flandrensis, crucem sumentes exemplum aliis potissimum præbuerunt; unde tam in imperio, quam de utroque regno regum prædictorum, archiepiscopi, episcopi, duces, marchiones et comites, barones, milites et mediæ manus homines vulgusque promiscuum crucem animosius susceperunt. Provisum est etiam inter eos, ut omnes de regno Francorum cruces rubeas, de terris regis Anglorum albas, de terra comitis Flandrensis virides haberent cruces. De terris autem, castellis et rebus omnibus usque peracta peregrinatione, et quilibet eorum in terra sua quadraginta diebus moram fecisset, omnia essent in eo statu quo fuerunt in die quo crucem susceperunt.

*Quare Richardus, comes Pictaviensis, animum suum a patre alienaverit.*

Circa dies istos Gaufridus de Liziniaco quendam Richardo, comiti Pictaviensi, familiarem structis insidiis interfecit; in tanti vero ultionem delicti comes ad arma provocatur, sed acceptæ crucis non immemor omnibus hominibus Gaufridi crucis signaculo insigniri<sup>1</sup> volentibus pepercit, alios in ore gladii interfecit, et in dedicationem plura castella suscepit; sed Gaufridus, regis Anglorum fultus pecunia et<sup>2</sup> auxilio, ut dicebatur, Richardo comiti restitit et parum profecit, unde idem comes animum suum a patre alienavit. Gaufrido

---

<sup>1</sup> Insignium in D.

| <sup>2</sup> In in C.



itaque superato, comes terram comitis Tholosani hos- A.D. 1188.  
tiliter ingressus, injuriatus ab ipso, intra breve tem-  
poris spatium castella ejus septendecim subjugavit.  
Rex autem Francorum indigne ferens quod comes  
Richardus terram comitis Tholosani ingressus fuisset,  
eo non certiorato, castellum Radulphi latenter ingres-  
sus<sup>1</sup> est et omnes in illo repertos ad fidelitatem sibi  
faciendam coegit; quod factum tanto principi ignom-  
iniosum videbatur, cum præsertim rex Anglorum post  
crucem susceptam transiturus in Angliam regi Fran-  
corum totius terræ suæ custodiam tradidisset. Deinde  
rex Francorum castellanos quosdam regi Anglorum  
subjectos in suum favorem tam minis quam promissis  
attraxit; et sic, instinctu diabolico, post crucem sus-  
ceptam reges discordes effecti mutuis sese damnis ad  
invicem afflixerunt, unde rex Anglorum Francorum  
ingressus regnum a Vernolio usque Meduanam universa  
contrivit.

Eodem anno Richardus, Wintoniensis episcopus, obiit  
undecimo kalendas Januarii et Wintoniæ sepultus est.

*Epistola Frederici, imperatoris Romani, ad  
Salaadinum.*

Eodem anno Fredericus, Romanorum imperator, Sala-  
adino scripsit pro negotio terræ sanctæ sub hac forma;  
“ Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper  
“ augustus et hostium imperii magnificus triumphator,  
“ Salaadino, Saracenorū præsidi, Hierusalem fugere  
“ exemplo Pharaonis. Quoniam terram sanctam nuper  
“ profanasti, cui æterni Regis imperio imperamus, in  
“ tanti sceleris præsumptuosam plectibilemque audaciam  
“ debita animadversione decernere imperialis celsitudo  
“ et officii sollicitudo nos admonet; quapropter, nisi

<sup>1</sup> The eight preceding words wanting in C.

A.D. 1188. " occupatam terram et omnia restituas, adjuncta satisfactione sacris constitutionibus pro tam nefandis excessibus taxata, [ut] non legitimum minime videtur amur indicere bellum, a capite kalendarum Novembrium evoluti anni spatio terminum constituimus ad experiendam belli fortunam in campo Tahpneos, in virtute mirificæ crucis et in nomine veri Joseph. Vix enim credere possumus hæc te latere, quod ex scriptis veterum et in historiis nostri temporis factum redolet; numquid scire dissimulas, ambas Æthiopias, Mauritaniam, Persiam, Syriam,<sup>1</sup> Parthiam, Judæam, Samariam, maritimam Arabiam, Chaldæam, Ægyptum et Armeniam, cum innumerabilibus terris nostræ ditioni subjectas? Norunt hæc reges, qui cruore gladii Romani sunt crebrius ebriati<sup>2</sup>; et tu quidem, auctore Deo, intelliges quid nostræ victrices aquilæ, quid cohortes diversarum nationum, quid furor Theutonicus etiam in pace arma movens, quid caput indomitum Rheni, quid juvenus qui nunquam novit fugam, quid procerus Bavarus, quid Suevus astutus, quid Franconia circumsperta, quid in gladio ludens Saxonia, quid Thuringia, quid Westphalia,<sup>3</sup> quid agilis Brabantia, quid nescia pacis Lotharingia, quid inquieta Burgundia, quid Alpinæ salices, quid Frisonia in armento prævolans, quid Boemia ultro mori gaudens, quid Polonia<sup>4</sup> suis feris ferior, quid Austria, quid Sturia, quid Bugresia, quid partes Illyricæ, quid Leonardia, quid Tuscia, quid Archaritana,<sup>5</sup> quid vetus Proretha, quid Spinacius nauclerus; denique dextram nostram, quam senio arguis, qualiter gladium vibrare dediceret, dies illa lætitiæ plena et jocunditate triumpho Christi præfixa te docebit."

<sup>1</sup> Persiam repeated in D.

<sup>2</sup> Debricati in D.

<sup>3</sup> Westphalkia in C.

<sup>4</sup> Bolenia in D.

<sup>5</sup> Archarutana in C.

*Rescriptum Salaadini ad Fredericum imperatorem.*

" Illi regi sincero, amico, magno, excelso Frederico, A.D. 1188.  
 " regi Alemanniæ, in nomine Dei miserentis, per gra-  
 " tiam Dei unius, potentis, exsuperantis, victoris, per-  
 " enniss, cujus regni non est finis. Gratias ei agimus  
 " perennes, cujus gratia est super omnem mundum,  
 " deprecamur eum, ut infundat orationem suam super  
 " prophetas suos, et maxime super instructorem nos-  
 " trum nuntium suum Mahumet prophetam, quem  
 " misit pro correctione rectæ legis, quam faciet appa-  
 " rere super cunctas leges. Attamen notum facimus  
 " regi sincero, potenti, magno, amico, amicabili regi  
 " Alemanniæ, quod homo quidam, Henricus nomine,  
 " venit ad nos dicens se esse nuntium vestrum, et  
 " detulit nobis quandam chartam, quam dixit esse  
 " vestram; nos legi fecimus chartam, et audivimus  
 " eum viva voce loquentem, et verbis, quæ ore dixit,  
 " verbis respondimus, et hoc est responsum chartæ.  
 " Quod si computatis, qui vobiscum concordant veni-  
 " endi super nos, et nominatis, et dicitis, rex talis  
 " terræ, et rex alterius terræ, et comes talis, et tales,  
 " et tales archiepiscopi et marchiones et milites; si  
 " nos vellemus dinumerare eos, qui sunt in nostro  
 " servitio, et qui sunt intendentes nostro præcepto et  
 " prompti nostro sermoni, et qui dimicarent coram  
 " nostris manibus, non possent hic in scriptum redigi;  
 " et si Christianorum computatis nomina, Saracenorum  
 " sunt plura et abundantiora quam Christianorum. Et  
 " si inter vos et eos quos nominastis Christianos mare  
 " est, inter Saracenos, qui non possunt æstimari, non  
 " est inter eos et nos mare nec ullum impedimentum  
 " veniendi ad nos. Et nobiscum<sup>1</sup> habentur Bedewini,  
 " quos si opponeremus inimicis nostris, sufficerent;  
 " habemus et Turkemannos, quos si effunderemus super

<sup>1</sup> Et nobiscum wanting in C.

A.D. 1188. " inimicos nostros, destruerent eos; habemus rusticos,  
 — " qui dimicarent strenue, si juberemus, contra gentes  
 " quæ venturæ sunt super terram nostram, et ditarentur  
 " de eis et exterminarent eas; habemus soldarios  
 " bellicosos, per quos terram apertam habemus et ad-  
 " quisitam et expugnatos inimicos; et hii et omnes  
 " reges paganismi non tardabunt cum eos summonue-  
 " rimus et vocaverimus. Et vos cum fueritis congregati,  
 " sicut charta vestra dicit, et ducetis multitudinem  
 " vestram, ut narrat nuntius vester, obviabimus  
 " vobis per potentiam Dei et obtinebimus terras fortitudine  
 " Dei; nam, si veneritis, cum toto posse vestro  
 " venietis et præsentis eritis cum omni gente vestra,  
 " et scimus quod nullus remanebit in terra vestra,  
 " qui se defendere possit nec terram tueri; et quando  
 " Deus victoriam nobis sua fortitudine de vobis donaverit,  
 " nihil amplius erit quam ut terras vestras libere  
 " capiamus fortitudine sua et voluntate. Adunatio  
 " enim legis Christianorum bis venit super nos in  
 " Babylone, una vice apud Damietam et altera apud  
 " Alexandriam, et nostis qualiter Christiani utraque  
 " vice redierint et ad qualem exitum venerint; et Deus  
 " adjuvavit nobis regiones affluentius, et adunavit eas  
 " longe lateque sub potestate nostra, Babyloniam cum  
 " pertinentiis suis, terram Damasci et maritimam,  
 " Hierusalem, terram Gethsure et castella ejus, terram  
 " Roasiæ cum pertinentiis, regionem Indiæ cum pertinentiis;  
 " et per gratiam Dei hoc totum est in manibus nostris,  
 " et residuum regum Saracenorum nostro est imperio.  
 " Nam si mandarem excellentissimis regibus Saracenorum,  
 " non retrahent<sup>1</sup> se a nobis; et si summoneremus Calipham  
 " de Baldac, quem Deus salvet, de sede excelsi imperii sui  
 " exsurgeret et veniret in auxilium excellentiæ nostræ;  
 " et nos per virtutem Dei obtinuimus Hierusalem et terras ejus,

---

<sup>1</sup> Retraherent in C.

“ et remanent adhuc in manibus Christianorum tres A.D. 1188.  
 “ civitates, Tyrus, Tripolis et Antiochia, et de hiis —  
 “ non est aliud nisi ut capiantur. Attamen si bellum  
 “ vultis et si Deus voluerit, ut sit per voluntatem  
 “ suam, et quod totam terram Christianorum adquire-  
 “ mus, obviabimus sicut scriptum est in charta vestra;  
 “ verum si nos de bono pacis requisiveritis, mandabitis  
 “ procuratoribus istorum trium locorum prædictorum,  
 “ ut ea nobis sine contradictione resignent, et vobis  
 “ sanctam crucem reddemus, et liberabimus omnes  
 “ captivos Christianos, qui sunt in terra nostra tota<sup>1</sup>  
 “ et permittemus vobis ad sepulchrum unum sacer-  
 “ dotem, et reddemus abbatias quæ solebant esse in  
 “ tempore paganismi, et bonum eis faciemus, et per-  
 “ mitemus venire peregrinos in tota vita nostra, et  
 “ habebimus vobiscum pacem. Charta hæc scripta  
 “ fuit anno adventus prophetæ nostri Mahumet quin-  
 “ centesimo octuagesimo quarto, gratia Dei solius.”

*Quod Guido, rex Hierosolymarum, a carcere liberatur.*

Eodem anno Guido, rex Hierosolymarum, cum apud  
 Damascum per annum detentus fuisset in vinculis,  
 Salaadinus sub tali illum pactione absolvit, ut, abjurato  
 regno, mare quam citius proscriptus transiret; hanc  
 pactionem cassandam clerus regni deliberat, nec ibi  
 fidem esse servandam, ubi periclitatur religio, dum  
 terra promissionis omni solatio destituta caput non  
 habeat nec rectorem, nec peregrini venturi ductorem,  
 nec populus defensorem. Rege itaque a vinculis  
 soluto, confluerunt ad eum multi peregrini, qui nuper  
 advenerant, cum populo regionis, et copiosum exer-  
 citum confecerunt, qui Tyrum ingredi volens a mar-  
 chisio non admittitur; licet eo pacto civitas ei

---

<sup>1</sup> Wanting in C.

A.D. 1188. commissa fuisset, ut regi repetenti et regni hæredibus redderetur; sed post dies paucos, eodem marchisio defuncto, hæc pestis cessavit. Mortuus est etiam eodem tempore Reimundus, comes Tripolitanus, cui imputabatur totus sinister eventus terræ promissionis, [quo] minus Christiane, ut dicitur, quasi ex mentis alienatione, in extremis viaticum non percepit.<sup>1</sup> Et his ita gestis, rex cum exercitu baronum regni, qui sibi adhæserant, sociatis sibi Templariis et Hospitalariis, Venetianis etiam, qui nuper advenerant, et Januensibus peregrinis, iter versus Ptolomaidam, quæ alio nomine Achon dicitur, arripuit; cujus robur veraciter numeratum<sup>2</sup> ad novem millia armatorum excrevit. Rex itaque Hierosolymitanus, cum Ptolomaidam pervenisset, fecit omnes suos in collem ascendere civitati vicinum, quem, eo quod instar turris erectus sit in sublime et rotundus, Turonum a vulgo nuncupatur; mons autem iste a parte urbis orientali consurgit editior, et in circuitu longe porrectus<sup>3</sup> in plana diffunditur.<sup>4</sup> Die igitur tertio post suum adventum urbem Christiani obsident, quæ postea non defecit usque ad tempus quo capta fuit a regibus Francorum et Anglorum, Philippo et Richardo. Adeo quidem peregrini simplices et mediæ manus homines bellatores concepto devotionis fervore ducuntur, quod, suis regibus vel dominis non exspectatis, ab extremis mundi partibus confluunt Domino servituri.

*Quod Salaadinus ab Achon confusus recessit.*

Rex autem Hierosolymarum peregrinorum multitudine vallatus fecit suos omnes de Turono descendere, et una cum peregrinis, qui nuper advenerant, ante civitatem castra locavit. Post dies autem paucos

<sup>1</sup> Pepercit in D.

<sup>2</sup> Numeratus in D.

<sup>3</sup> Porrectum in D.

<sup>4</sup> Diffundit in D.

superveniens Salaadinus<sup>1</sup> in manu robusta impetum A.D. 1188. in Christianos fecit acerrimum, ut qui putabat eos insultu primo vincendos; at fideles Christi in unum conglobati, quasi pro animabus decertantes, viriliter restiterunt, quos Salaadinus circumcingi jubens, pro impossibili, quod ex omnibus pes unus evaderet, iudicabat, sed aliter visum est. Ei qui dissipat consilia reproborum. Nam cum per triduum<sup>2</sup> insultus infidelium undique venientium pertulissent, et jam quasi debilitati ab hostibus deficere cœpissent, ecce aspiciunt classem cum duodecim millibus Danorum et Frisonum velis sinuantibus accedere ad portum, quem, Deo opitulante, cum prosperitate optata intraverunt. His et hujusmodi, quæ fiebant assidue, visionibus permotus Salaadinus confusus ad terræ suæ inferiora descendit.

*De magno impedimento terræ sanctæ.*

Accessit autem his diebus ad terræ sanctæ magnum impedimentum discordia, quæ nuper, et post crucem susceptam, inter regem Francorum et comitem Pictaviensem Richardum ex una parte et Henricum, regem Anglorum, surrexit ex altera, adeo quidem ut mutua ad invicem castella surriperent et multa mala in homicidiis et spoliis perpetrarent; qui tandem pro bono pacis in Normanniam ad colloquium convenientes, diabolo superseminante zizania in medio tritici, discordes ab invicem recesserunt.

---

<sup>1</sup> Superveniente Salaadino in D. | <sup>2</sup> Trium in C.

*Ut Johannes, Anagninæ<sup>1</sup> cardinalis, pacem inter Philippum Francorum et Henricum Anglorum reges fecerit.*

A.D. 1189. Anno Dominicæ nativitatæ MCLXXXIX. rex Henricus in partibus transmarinis moram faciens infestationes, quas sibi rex Francorum Philippus et comes Pictavorum Richardus filius ejus faciebant, graviter nimis et moleste ferebat; fuit autem ad natale Domini in Andegavia apud Saumur et solemne festum ibi tenuit, licet quamplures de comitibus et baronibus suis ab eo recessissent et Richardo filio suo adhæsisent. Post festum sancti Hilarii ruptis treugis, quæ erant inter reges, Philippus, rex Francorum, et comes Richardus, congregatis copiis militaribus, intraverunt terras regis Angliæ et eas devastare cœperunt; Britones etiam,<sup>2</sup> relicto eo, Richardo comiti adhæserunt; sed papa Clemens, admirans nondum pacem inter reges fuisse reformatam, misit Johannem de Anagnia<sup>3</sup> cardinalem cum plena potestate ad lites regias dirimendas, qui cum ad eos venisset, et ipsos nunc asperis nunc blandis sermonibus ad pacem commovisset, ipsi tandem reges, præstita cautione, juraverunt quod starent iudicio Bituricensis, Rothomagensis et Cantuariensis archiepiscoporum, ita ut, si quis eorum deficeret, quo minus inter eos pax solida firmaretur et iter Hierosolymitanum impediretur,<sup>4</sup> in eum tanquam in Dominicæ crucis et totius Christianæ religionis subversorem auctoritate domini papæ sententiam excommunicationis promulgarent; statimque cardinalis sententiam tulit in omnes, tam clericos quam laicos, per quos staret quo minus pax fieret inter reges, salvis tantummodo eorundem regum personis.

<sup>1</sup> Agnanis in D.

<sup>2</sup> Wanting in C.

<sup>3</sup> Agnania in D.

<sup>4</sup> Expediretur in D.



*Epistola filii marchionis de oppressione terræ sanctæ.*

“ Cantuariensi archiepiscopo Baldewino, Conradus, A.D. 1189.  
 “ filius marchionis de Monte-Ferrario, salutem. Tur-  
 “ bantur elementa et catholicæ fidei derogatur, cum  
 “ sedes Hierosolymitana apostolicæ sedi subtrahitur.  
 “ Periit enim Hierosolyma et inertia Christianorum a  
 “ Saracenis vilissime pertractatur; fœdant namque  
 “ Dominicum sepulchrum, destruunt Calvariæ locum,  
 “ nativitatem Christi contemnunt, et beatæ virginis  
 “ Mariæ eradicant sepulchrum; sedes Constantinopoli-  
 “ tana Romanæ sedi nullam exhibet reverentiam;  
 “ Antiochena quidem laborare dignoscitur in extremis.  
 “ Hæc autem omnia Christianorum noscuntur desidia  
 “ contigisse. Lugenda est autem civitas Hierusalem  
 “ sancta atque lamentanda, quæ suis cultoribus spoli-  
 “ ata, ubi Christus per horas diei ac noctis constitutas  
 “ deprecabatur, nunc Mahumet excelsa voce laudatur.  
 “ Vestræ igitur celsitudini preces cum lachrymis por-  
 “ rigo fusas, quatenus calamitatum terræ sanctæ mise-  
 “ reri dignemini, ut confortetis reges, commoneatis  
 “ fideles, ut, canibus expulsis a patrimonio Jesu Christi,  
 “ misericorditer subveniant, vincula solvant, ut terra  
 “ sanctis pedibus Salvatoris calcata de potestate infi-  
 “ delium liberetur. Accedit etiam ad cumulum iniqui-  
 “ tatis ac desolationem Christianitatis familiaritas, quæ  
 “ viget inter Salaadinum et imperatorem Constan-  
 “ tinopolitanum, cui tradidit idem Salaadinus omnes  
 “ ecclesias terræ promissionis, ut in eis serviatur per  
 “ suos secundum ritum Græcorum. Insuper etiam et<sup>1</sup>  
 “ idem Salaadinus misit idolum suum Constantinopolim  
 “ imperatoris assensu, ut ibi publice coleretur, sed per  
 “ gratiam Dei captum est in mari a Januensibus et  
 “ cum ipsa navi perductum est Tyrum. Nuper etiam  
 “ exercitus constructus est ante urbem Antiochiæ et

---

<sup>1</sup> Wanting in C.

A.D. 1189. "imperator promisit centum galeias Salaadino; ac  
 " Salaadinus dedit ei totam terram promissionis, ita  
 " ut impediatur viam Francorum ad succursum terræ  
 " sanctæ; nec est aliquis apud Constantinopolim, qui  
 " crucem accipiat, quin statim capiatur et in carcerem  
 " detrudatur. Hoc autem nobis solatium est, quod  
 " nuper frater Salaadini et filius ejus ante Antiochiam  
 " capti sunt et sub salva custodia deputati. Valete."

*Quibus de causis comes Richardus a fidelitate patris  
 sui recesserit.*

Eodem anno post Paschalem solemnitatem bis inter reges habitum est colloquium prope Feritatem-Bernardi; sed ad ultimum, in hebdomada Pentecostes ibidem convenientes, postulavit rex Francorum Alesiam sororem suam, quam rex Angliæ habuit sub custodia sua, donari Richardo comiti in uxorem, et aliquam securitatem sibi fieri de regno Angliæ post decessum suum; petiit<sup>1</sup> insuper, ut Johannes filius ejus crucem susciperet Hierosolymam profecturus, nam Richardus frater ejus iter illud nullatenus sine ipso arriperet;<sup>2</sup> sed, quia rex Angliæ huic petitioni assensum præbere noluit, discordes ab invicem recesserunt. In hoc autem colloquio cardinalis præfatus constanter asserebat, quod, nisi rex Franciæ et comes Richardus cum rege Anglorum ad plenum componerent, omnes terras eorum sub interdicto concluderet. Cui rex Francorum respondit, se ipsius sententiam non timere, cum nulla æquitate niteretur; addidit etiam, ad ecclesiam Romanam non pertinere in regem vel regnum Francorum per sententiam animadvertere, si rex Francorum in homines suos demeritos et regno suo rebelles injurias suas<sup>3</sup> ulciscendi causa insurgit; adjunxit insuper, quod cardinalis prænominatus jam

<sup>1</sup> Wanting in C.

<sup>2</sup> Arripiet in D.

<sup>3</sup> Wanting in C.

sterlingos regis Angliæ olfecerat, unde illum judicem A.D. 1189. suspectum habebat. Archiepiscopi vero aliique magnates, his auditis, regi Anglorum dederunt consilium, ut petitionibus filii sui præberet assensum; dignum enim esse dicebant ut filio suo et hæredi legitimo, militique tam strenuo, aliquam securitatem faceret de hæreditate sua habenda si ipsum supervixisset; quibus respondit rex, se nullatenus hoc in tali statu facturum, quoniam id coactus potius quam spontaneus facere videretur. Comes vero Richardus, cum talia cognovisset, videntibus cunctis, homagium fecit regi Francorum de toto tenemento patris sui, quod ad regnum Franciæ pertinebat, salvo patri tenemento quamdiu viveret et salva fide quam patri debebat. Sicque finito colloquio reges et tota multitudo recessit.

*Ut rex Francorum quatuor castella regis Angliæ cepit ipsumque a Cenomannica urbe fugavit.*

Rex Francorum cum comite Richardo in hunc modum recedens cepit Feritatem-Bernardi, Montem-fortem, Baalverque<sup>1</sup> castella regis Angliæ, et post captionem illam moram trium dierum fecit ibidem. Deinde Cenomanniam veniens, fingensque se Turonis iturum, proxima die Lunæ, cum rex Angliæ et sui<sup>2</sup> viderentur ibidem esse securi, rex Francorum acies suas disposuit in civitatem Cenomanniæ insultum facturum; quod videns, Stephanus de Turnham, tunc Andegaviæ regis Anglorum seneschallus, in suburbio ignem conjecit, sed ignis accensus muros transcendens fere civitatem totam in favillam redegit. Hoc Franci cognoscentes ad quendam pontem lapideum pervenerunt, ubi Gaufridus de Bruilun et multi cum eo ex parte regis Angliæ eis occurrerunt pontem dirumpere cupientes, factoque ibi conflictu maximo, multi hinc et inde

<sup>1</sup> Baalum in C.

| <sup>2</sup> Et sui wanting in C.

A.D. 1189. gladio corruerunt. In hoc autem conflictu captus est — Gaufridus prædictus, in cervice vulneratus, cum aliis multis; cæteri autem volentes in civitatem fugere, Franci una cum illis ingressi sunt civitatem; quod videns rex Anglorum, de se desperans, cum militibus septingentis aufugit. Rex vero Francorum et Richardus, comes Pictavorum, per tria illum milliaria insecuti sunt; et nisi vadum, per quod transitum fecerunt, altum esset et immensum, omnes de familia regis Angliæ milites caperentur; in illa denique fuga multi sunt Wallensium interfecti. Rex autem Anglorum Turonis cum paucis veniens, ibi se in munitionem recepit; residui vero, qui remanserant de suis, in turrim sese Cenomanniæ receperunt. Rex Francorum illico turrim obsedit; et tum per effossores suos,<sup>1</sup> tum per machinarum insultus, infra diem tertium reddita est ei turris cum militibus triginta et servientibus sexaginta. Inde recedens cepit Montem-duplicem per deditionem; deinde reddita sunt ei castella de Troia, de Rupibus, Montarium, castrum Carceris et de Leir, castrum Calvi-montis, cum castro Ambaciæ,<sup>2</sup> castrumque de Rupibus-carbonis et Monsbellus.

*De captione Silvici civitatis.*

Eodem anno multæ naves a partibus aquilonis Britannicum mare sulcantes cum peregrinis Angliæ fœdus inierunt; itaque de consilio communi, decimo quinto kalendas Junii de Dertemue exeuntes, naves videlicet multum oneriferæ numero triginta septem sese pelago commiserunt, quæ post varios rerum eventus Ulixibonam venerunt. Rex autem Portugalensis, intelligens quod naves præmunitæ essent tam armis quam hominibus ad pugnandum idoneis, supplicavit ut ei venirent in auxilium ad subjugandam civitatem

<sup>1</sup> Wanting in C.

| <sup>2</sup> Ambasiæ in C.

nomine Sylviam; promisit etiam eis in adjutorium A.D. 1189. galeias triginta septem et alias naves plurimas; pactum etiam cum eis iniit, præstito sacramento, quod quicquid auri vel argenti, sive cujuscunque generis lucri, civitate subacta, possent acquirere, in usus suos redigentes urbem solummodo regi concessissent. Igitur ab Ulixibona recedentes velis prosperis in brevi portum Sylviæ intraverunt, impulsisque ad terram navibus, tentoriisque fixis, urbem obsidione vallaverunt; erat autem numerus Christianorum ad pugnam præparatorum tria millia quingenti. Deinde die tertio muris appropinquantes insultum fecerunt acerrimum, suburbium irruperunt, fontem etiam duplici muro circumdatum, habentem barbecanam novem turribus circumseptam, a quo cives haurire solebant aquæ abundantiam, terra, fimo et lapidibus obstruxerunt. Gentiles vero aquæ penuria laborantes, animo sunt consternati; princeps civitatis, Alehad nomine, regem adiit Portugalensem reddiditque ei civitatem, ignorantibus Christianis. Subacta itaque mirabiliter urbe a peregrinis Crucifixi, inventa sunt in illa paganorum plusquam sexaginta millia, qui omnes in ore gladii, præter solummodo tredecim millia utriusque sexus, perierunt. Sic omnipotentis Dei virtute, sine damno Christianorum, triumphatum est de paganis; et, civitate sordibus et idololatriis emundata, Portugalensis episcopus mahumereiam magnam in honorem Dei genitricis dedicavit, præficiens ibi episcopum quendam, qui de partibus Flandriæ gratia peregrinationis advenerat.

*Ut rex Henricus cum Richardo filio suo pacem  
coactus fecerit.*

Eodem anno, in crastino festivitatis apostolorum Petri et Pauli, comes Flandriæ Philippus, et Willelmus, Remensis archiepiscopus, et Hugo, dux Burgundiæ,

A.D. 1189. venerunt apud Saumur ad regem Anglorum ad componendum inter eum et regem Francorum et Richardum, comitem Pictavorum. Habuit autem comes Richardus Britones confœderatos cum Pictaviensibus, qui a rege Francorum literas patentes acceperant, quod ipse nullatenus cum rege Anglorum componeret, nisi et ipsi in pace fuerint comprehensi. Interea vero rex Francorum et Richardus, comes Pictavorum, civitatem Turonicam obsidione cingentes, proximo die Lunæ post festum præfatum, ex parte Ligeris fluminis, præ modicitate aquæ, scalis muro applicatis, violenter civitatem ceperunt et in ea milites sexaginta novem et centum servientes. Tunc rex Anglorum in arcto constitutus pacem sibi turpissimam facere compulsus est in hunc modum; Rex Anglorum se posuit ex toto in consilio regis Francorum, ita quod, quicquid idem rex provideret vel fieri judicaret, rex Angliæ sine contradictione compleret. Tunc rex Anglorum regi Francorum fecit homagiũ, quia in principio hujus guerræ homagiũ suum reddiderat regi Francorum. Provisum est insuper, ut Alesia, soror regis Francorum, redderetur in custodia comitis Richardi usque ad reditum suum de peregrinatione terræ sanctæ, ut tunc illam duceret in uxorem. Provisum est etiam, quod comes Richardus acciperet homagia hominum de omnibus terris patris sui citra mare et ultra; et nullus baronum sive militum, qui in hac guerra adhæsit comiti Richardo, de cætero redibit ad regem Angliæ, nisi in ultimo mense, ante motionem regum versus terram sanctam, cujus terminus in media Quadragesima erit. Dabit præterea regi Francorum pro laboribus suis in obsequio comitis Richardi impensis viginti millia marcas argenti; et rex Francorum et comes Richardus tenebunt civitates Cenomannicam et Turonicam, cum castellis de Leir [et] de Trou, donec omnia fiant quæ sunt prælocuta.

In hoc autem eventu videtur prophetia Merlini completa, quæ dicit, "Dabitur maxillis ejus frænum,

“ quod in Armorico sinu fabricabitur; ” frænum quo A.D. 1189. —  
 que maxillis ejus, videlicet regis Angliæ, datum est,  
 dum, quod prædecessores sui hæreditario jure in  
 Avernia<sup>1</sup> tenuerant, dominio subjecit alterius; dum  
 transfugas suos, Gaufridum scilicet de Meduana, Gui-  
 donem de Valle, Radulphum de Fulgeriis, intra sinum  
 habitantes Armoricum, id [est] Britannicum, qui sinus  
 transitum facientibus a Britannia versus Franciam se  
 pacificum et commeabilem offerebat, vitatis finibus  
 Normannorum, in ligantiam et potestatem filii sui  
 Richardi, vellet nollet,<sup>2</sup> transire concessit.

*Ut imperator Romanus iter peregrinationis arripuit.*

Circa dies istos, in festo sancti Georgii, Fredericus,  
 imperator Romanus, loca Dominicæ passionis visitatu-  
 rus peregrinationis iter arripuit apud Remesburgum,  
 transitum per Hungariam et Bulgariam, sicut propo-  
 suerat, habiturus.

*De morte regis Henrici.*

Rex Henricus de colloquio mœstus ad Chinonem  
 veniens, gravi tactus incommodo, maledixit diei in quo  
 natus fuerat; et sic in angaria positus infra triduum  
 post concordiam factam diem clausit extremum. Obiit  
 autem postquam regnaverat annis triginta quatuor,  
 mensibus septem, diebus quinque, in octavis apostolo-  
 rum Petri et Pauli. In crastino itaque cum portaretur  
 ad sepeliendum, regio indutus apparatu, coronam in  
 capite gerens auream, habensque chirothecas in mani-  
 bus, calceamenta auro contexta in pedibus, calcaria,  
 anulum in digito aureum et in manu sceptrum, ac-  
 cinctusque gladio, discoopertum habens vultum jacebat.  
 Quod cum Richardo filio suo nuntiatum fuisset, festi-

<sup>1</sup> Arvernia in D.

| <sup>2</sup> Nollet wanting in C.

A.D. 1189. nanter ei venit obviam; quo superveniente, confestim manavit sanguis ex naribus regis defuncti, ac si indignaretur spiritus regis in adventu ejus, qui mortis ipsius causa esse credebatur; quod videns comes Richardus amarissime flere cœpit, et inæstimabili perturbatus angustia usque ad Fontem-Ebraudi feretrum sequens corpus patris sui, ab archiepiscopis Turonensi et Treverensi<sup>1</sup> divinis celebratis mysteriis, fecit honorifice tumulari. Et quoniam idem rex adhuc vivens sæpe dicere consueverat, orbem universum uni non sufficere debere pro voto principi, inscriptio illius tumuli talis erat;

“ Rex Henricus eram, mihi plurima regna subegi,

“ Multiplicique modo, duxque comesque fui.

“ Cui satis ad votum non essent omnia terræ

“ Climata, terra modo sufficit octo pedum.

“ Qui legis hæc, pensa discrimina mortis, et in me

“ Humanæ speculum conditionis habe.”

Leges autem, quas idem rex ad utilitatem regni composuit, hoc in loco scriberem, si non lectorem offendere dubitarem.<sup>2</sup>

Per idem tempus Matildis, uxor ducis Saxonie et filia ejusdem regis, defuncta est.

<sup>3</sup> *Ut comes Richardus ducatum Normannie acceperit.*

Defuncto itaque rege Henrico, Richardus filius ejus statim injecit manus in Stephanum de Turnham, senescallum Andegavie, et mittens eum in custodia exegit ab eo castella et thesauros patris sui, quos habebat. Deinde omnes servientes patris sui,<sup>4</sup> quos fideles noverat, honorifice secum retinuit, et unicuique

<sup>1</sup> Et Treverensi wanting in C.

<sup>2</sup> Wanting in C.

<sup>3</sup> In C. the following heading is prefixed:—Capitulum 91. De hiis

que gesta sunt tempore quo regnavit Rex Ricardus in Anglia.

<sup>4</sup> The seven preceding words are wanting in C.



servitium, quod patri suo longo transacto tempore fecerat, secundum cuiusque meritum recompensavit. Johannem vero fratrem suum ad se venientem honorifice suscepit. Tunc pergens in Normanniam Rothomagum venit, atque decimo tertio kalendas Augusti, præsentibus episcopis, comitibus, baronibus ac militibus, per ministerium archiepiscopi de altari beatæ virginis Mariæ ducatus Normanniæ gladium suscepit; receptaque fidelitate tam cleri quam populi, Johanni fratri suo omnes terras, quas pater suus ei dederat in Anglia, terram videlicet quatuor millium marcarum, cum comitatu toto Moretonii, dapsiliter confirmavit. Concessit etiam Gaufrido fratri suo, ecclesiæ Lincolnensis quondam electo, archiepiscopatum Eboracensem; qui continuo, missis clericis suis cum literis ducis, accepit archiepiscopatum in manu sua, expulsis custodibus regis et Huberti Walteri, ejusdem ecclesiæ decani et a quibusdam canonicis ecclesiæ illius electi. Dux igitur tertio sui ducatus die, habuit colloquium cum rege Francorum inter Calvum-montem et Trie, in quo colloquio rex Francorum postulavit Gisortium castellum et totam provinciam adjacentem; sed, quoniam dux accepturus erat Alesiam sororem regis in conjugem, sustinuit ad tempus, promissis a duce quatuor millibus marcis, præter supradictam pecuniam, quam promiserat pater suus. A.D. 1189.

*Ut rex Richardus matrem suam de longo carcere liberavit.*

Interea mater ejus, regina Alienora, quæ per annos sexdecim a toro patris separata sub arcta carceris custodia tenebatur, statuendi<sup>1</sup> in regno quæ vellet a filio potestatem accepit, datumque est regni principibus in mandatis, ut omnia disponerentur ad votum reginæ;

<sup>1</sup> Statuendo in C.

A.D. 1189. quæ continuo, accepta potestate, omnes captivos per Angliam a carceribus liberavit, sicut quæ experimento didicerat, carcerales custodias hominibus nimis esse molestas. Hiis profecto diebus venit in lucem prophetia Merlini, ubi dicitur, "Aquila rupti foederis" "tertia nidificatione gaudebit." Aquila siquidem regina est appellata, quia duas alas super duo regna, Francorum videlicet et Anglorum, expandit. Hæc a rege Francorum disjuncta fuit propter consanguinitatem per divortium, a rege Anglorum segregata existit per suspicionem et custodiam carceralem; sic aquila rupti foederis utrobique fuit. Quod autem addidit, "et tertia nidificatione gaudebit," sic intelligere potes; primogenitus reginæ filius, nomine Willelmus, in puerili ætate decessit; Henricus secundus in regem sublimatus, hostiliter cum patre congressus, naturæ debitum solvit; Richardus, filius ejus tertius, tertia nidificatione denotatus, matri gaudium fuit, qui eam, ut dictum est, a squalore carceris liberavit.

*Ut dux Richardus in Angliam coronandus venit.*

His ita dispositis, dux Richardus, singulis hominum suorum jura sua reddens, usque Barbefluvium venit, ubi navibus ascensis,<sup>1</sup> apud Portesmuthe<sup>2</sup> idibus Augusti applicuit; cujus adventus cum esset per Angliam divulgatus, gavisus sunt clerus et populus de<sup>3</sup> adventu ipsius, et, licet quidam moleste tulissent mortem patris illius, solatium illis fuit, quod quidam ait,

"Mira canam, Sol occubuit, nox nulla secuta est."

Statim itaque dux ut applicuit, Wintoniam veniens fecit ponderare et in scriptum redigere omnes thesauros patris sui, et inventa sunt plusquam nongenta millia

<sup>1</sup> Concensis in C.

<sup>2</sup> Portesmue in C.

<sup>3</sup> In in D.

librarum in auro et argento, præter lapides pretiosos. A.D. 1189.  
 Deinde apud Salesberi veniens, et inde de loco ad locum pergens, unicuique jus petitum reddidit et terras multas non habentibus dedit. Dedit præterea Johanni fratri suo filiam Roberti, comitis Gloverniæ, cum comitatu illo et castellis de Merleberge, de Lutegashale,<sup>1</sup> de Bolesoveres, de Notingham et de Lancastræ, cum honoribus ad ea pertinentibus, cum honore Willelmi Peverel, et ei omnia confirmavit; quo facto, comes Johannes desponsavit præfatam comitis filiam, contra prohibitionem Baldewini, Cantuariensis archiepiscopi, eo quod parentes erant in tertio gradu consanguinitatis.

Circa eosdem dies quidam canonicorum Eboracensis ecclesiæ elegerunt Gaufridum fratrem ducis, et, cantato hymno, sigillis suis electionem factam solemniter confirmaverunt; sed magister Bartholomæus, Huberti Walteri officialis, ejusdem ecclesiæ decani, qui unus erat de primis electis, ne id fieret in absentia Dunelmensis episcopi et Huberti Walteri, decani scilicet, quorum de jure erat illi interesse electioni, domini papæ præsentiam appellavit.

*G. Eliensis intestatus decessit.*

Eodem tempore Gaufridus, Eliensis episcopus, duodecimo kalendas Septembris intestatus decessit, unde ex reliquiis ejus confiscata sunt tria millia marcæ argenti, additis marcis ducentis [auri]; numerus vero suppellectilis suæ in annulis et vasis aureis et argenteis, bladi, vestibus<sup>2</sup> festivis et instauramentis, crevit in immensum.

---

<sup>1</sup> Lutegashalle, de Peec, in C. | <sup>2</sup> Festibus inserted in D.

*De Coronatione regis Richardi et modo coronandi.*

A.D. 1189. Dux Richardus, omnibus necessariis ad coronationem suam præparatis, Londonias venit, ubi congregatis archiepiscopis Cantuariensi, Rothomagensi et Treverensi, a quibus absolutus fuerat in partibus transmarinis, eo quod arma moverat contra patrem suum post susceptam crucem; adfuit et archiepiscopus Dublinensis, cum omnibus episcopis, comitibus, baronibus et magnatibus regni; congregatis igitur omnibus, ordine subscripto diadema suscepit. In primis venerunt archiepiscopi, episcopi, abbates et cleri, cappis induti, præcedentibus cruce, aqua benedicta et thuribulis, usque ad ostium thalami interioris, ubi accepto duce duxerunt eum in ecclesiam Westmonasteriensem usque ad majus altare cum processione solemnī. In medio autem episcoporum et clericorum procedebant quatuor barones portantes candelabra cum cereis; post quos veniebant duo comites, quorum primus portabat sceptrum regale, in cujus summitate erat signum crucis aureum, et alter portabat virgam regalem,<sup>1</sup> habentem in summitate columbam; et post illos veniebant duo comites, et tertius in medio eorum, portantes tres gladios cum vaginis aureis, de thesauro regis sumptos; sequebantur autem istos sex comites et barones portantes scaccarium unum, supra quod posita erant regalia insignia et vestes, sequente eos comite uno in excelso coronam auream portante. Ad ultimum venit dux Richardus habens episcopum unum a dextris et alium a sinistris, et supra illos umbraculum sericum portabatur; et ad altare, ut diximus, pervenientes, coram clero et populo, propositis sacrosanctis evangeliiis cum plurimorum sanctorum reliquiis, juravit, quod pacem, honorem ac reverentiam omnibus diebus vitæ suæ portabit Deo et sanctæ ecclesiæ et ejus ordi-

---

<sup>1</sup> Wanting in C.

natis ; juravit etiam, quod in populo sibi commisso A.D. 1189. rectam justitiam exercebit, et quod malas leges et iniquas consuetudines, si aliquæ fuerint in regno suo, delebit et bonas observabit. Deinde exuerint eum omnibus indumentis suis præter braccas et camisiam, quæ in scapulis dissuta erat propter unctionem. Baldwinus, Cantuariensis archiepiscopus, sandaliis calcatum auro textis, in tribus locis eum unxit in regem, videlicet in capite, in scapulis et in brachio dextro, cum orationibus ad hoc constitutis ; posito deinde super caput ejus panno lineo sacrato, pileum desuper posuit, et regalibus indutum vestimentis, cum tunica et dalmatica, tradidit ei archiepiscopus gladium ad malefactorum ecclesiæ deprimendos ; quo facto, duo comites calceaverunt ei calcaria, indutusque mantea conjuratus est ab archiepiscopo ex parte Dei et prohibitus, ne hunc honorem accipere præsumat, nisi in mente habeat sacramenta tenere quæ fecit ; et ipse respondit, se per auxilium Dei bona fide observaturum omnia supradicta. Deinde coronam de altari accipiens rex tradidit archiepiscopo, quam ipse capiti regis imposuit, sceptrum in manu dextra et virgam regalem in sinistra ; et sic coronatus ductus<sup>1</sup> est ab episcopis et baronibus, præcedentibus candelabris, cruce et tribus gladiis supradictis<sup>2</sup> ; et, cum perventum fuisset ad offertorium missæ, præfati duo episcopi duxerunt eum et iterum redixerunt. Tandem, missa cantata et omnibus rite peractis, sæpe dicti duo episcopi redixerunt<sup>3</sup> coronatum, sceptrum in dextra, virgam vero regalem in sinistra bajulantem, et ordinata processione in chorum reversi sunt ; quo cum pervenisset rex, depositis regalibus indumentis, leviores coronam et vestes resumens perrexit ad prandium, ubi archiepiscopi, episcopi,

---

<sup>1</sup> Ducens in D.

<sup>2</sup> The twelve preceding words wanting in C.

<sup>3</sup> Eum in C.

A.D. 1189. comites et barones, cum clero et populo, unusquisque secundum ordinem et dignitatem suam ad mensam collocati, epulabantur splendide, Baccho per pavimentum et parietes palatii discurrente. Acta autem sunt hæc die Dominica, tertio nonas Septembris.

*De persecutione Judaica.*

Huic coronationi multi Judæorum interfuerunt, contra regiam prohibitionem, qui die præcedente communi edicto interdixerat, ne Judæi aut mulieres interessent propter magicas incantationes, quæ fieri solent in coronationibus regum; sed curiales, quamvis occulte venissent, injectis manibus spoliaverunt eos et diris verberibus affecerunt, et ab ecclesia illos ejicientes quosdam interfecerunt, quosdam semivivos reliquerunt. Audiens autem vulgus civitatis quod curiales ita sæviabant in Judæos, irruerunt in illos, qui in civitate remanserant, multisque utriusque sexus ex eis interfectis, et domibus subversis et succensis, aurum eorum et argentum, chartas et vestes pretiosas rapuerunt; qui autem ab hac clade evaserunt, fugerunt ad turrim Londoniarum, et in domibus amicorum suorum in locis diversis latitantes de suo damno multos divites reddiderunt. Hæc persecutio in ortu jubilæi sui, quem annum remissionis appellant, inchoata vix per annum conquiescere potuit, nam, contraria ratione, qui debuit eis annus esse remissionis factus est illis jubilæus confusionis. In crastino autem, cum rex talem cognovisset injuriam eis illatam, quam propriam reputabat, quosdam eorum fecit comprehendi, quorum tres culpabiles deprehensos per judicium curiæ suæ jussit suspendi; unum vero, quia furtum fecerat de re cujusdam Christiani; duos, quia incendium fecerunt in civitate, unde domus Christianorum sunt combustæ. Audientes autem Christiani per Angliam in locis diversis constituti, quod apud Londonias actum est de Judæis,

irruerunt in eos ubique, maximamque ex eis stragem A.D. 1189. —  
facientes et eorum spolia diripientes multos immiseri-  
corditer peremerunt; sed rex Richardus in crastino  
coronationis suæ, cum homagia et fidelitates a regni  
magnatibus suscepisset, prohibuit ne quisquam Judæis  
forisfaciat, sed pacem suam habeant per omnes Angliæ  
civitates.

*De munificentia regis Richardi.*

Rex Richardus monachis Cisterciensibus, ad capitu-  
lum generale de diversis terrarum locis convenientibus,  
singulis annis centum marcas argenti contulit et  
charta sua confirmavit.

*Ut rex Richardus ecclesiis vacantibus per Angliam  
pastores concesserit.*

Rex Richardus in crastino exaltationis sanctæ Cru-  
cis apud Pipwelle, archiepiscoporum et episcoporum  
consilio, conventu magno congregato, dedit Gaufrido  
fratri suo archiepiscopatum Eboracensem, Godefrido de  
Luci episcopatum Wintoniensem, Richardo, Eliensi archi-  
diacono, Londoniensem, Huberto Walteri Salesburiensem,  
Willelmo de Longo-campo Eliensem; sed Baldwinus,  
Cantuariensis archiepiscopus, factis electionibus, pro-  
hibuit Gaufrido, Eboracensi electo, ne ab alio quam  
a se ordinem sacerdotalem vel consecrationem episco-  
palem susciperet, et super hoc sedem apostolicam  
appellavit.

*Ut Hugo, Dunelmensis episcopus, data pecunia,  
nomen comitis usurpavit.*

Eodem tempore rex Richardus deposuit a ballivis  
suis Ranulphum de Glanvilla, Angliæ justiciarium, et  
fere omnes vicecomites Angliæ et ministros eorum,  
quos omnes ad gravem redemptionem coegit, et, ut

A.D. 1189. terram promissionis ab infidelium dominatione eriperet, omnia ei venalia erant, dominationes videlicet, castella, villæ, prædia, silvæ, vicecomitatus, et his similia; unde factum est, quod Hugo de Pusaz, Dunelmensis episcopus, emit sibi et ecclesiæ suæ villam regis, quæ Segesfeld appellatur, cum wapentac et omnibus pertinentiis suis, ac Northanhumbriæ comitatum in vita sua, qui a rege gladio comitatus accinctus nomen sibi comitis usurpavit; quo gladio accincto, rex cum cachinno adstantibus ait, "Juvenem feci comitem de " episcopo veterano." Tandem vero ad cumulum subannationis dedit eidem regi mille marcas argenti, ut esset justiciarius Angliæ et ut ab itinere terræ sanctæ remaneret, et, ne a quoquam redargui posset, data pecunia infinita, a sede apostolica, quæ nulli deest, impetravit licentiam remanendi; sicque crucem Dominicam terrenarum ambitu rerum seductus deposuit, quæ omnibus et præcipue episcopis portanda prædicatur. In hoc quoque episcopi facto venit in lucem prophetia sancti Godrici heremitæ, qui eidem episcopo in suæ promotionis initio ad se venienti, et de statu suo futuro et vitæ suæ longævitate quærenti, tale fertur dedisse responsum; "De statu vestro futuro," inquit, "et de vitæ vestræ diuturnitate diffinire, sanctorum est apostolorum et eorum consimilium, et " non meum, quia hic pro peccatis poenitentiam ago " et adhuc me miserum et peccatorem esse doleo; sed " illud vobis dico, quod ante mortem vestram per septennium dolendam incurres cœcitatem." Episcopus autem a viro Dei recedens sæpius in animo revolvit ea quæ audivit, et, quasi securus de dictis sancti effectus, cum maxima sollicitudine medicorum oculis deinceps medelam adhibuit, ut visu et vita diuturna frueretur; sed cum per multa annorum curricula invaletudine, qua et mortuus est, pressus jaceret, et a medicis quid sibi esset agendum sollicite requireret, unanimi omnes consensu episcopo dedere consilium, ut



animæ suæ salubriter provideret saluti, et eo diligenter A.D. 1189. —  
tius, quo se sciret maturius a vita corporis dissolvendum; quod audiens episcopus adstantibus ait, "Decepit me Godricus, qui septennem mihi cœcilitatem ante mortem promisit;" sed non immerito cœcus dicebatur, qui, data pecunia comitis et iusticiarii nomen sibi inaniter usurpans, curis se secularibus immiscens, peregrinationem terræ sanctæ postponens, curam animarum penitus et sollicitudinem pastorem parvipendens, non solum mentis lumine privatus, verum etiam totus efficitur tenebrosus; sicque episcopus, secundum hominis Dei arbitrium, septem annis expletis ex hac vita decessit.

Eodem tempore comes Willelmus de Magnavilla apud Rothomagum diem clausit extremum.

*De pugna laudabili a Christianis contra paganos commissa.*

Eodem anno, quarto die mensis Octobris, bellum inter Christianos et Sarracenos apud Antiochiam commissum est in hunc modum; rex Hierusalem, Templarii, Hospitalarii, marchio de Monte-Ferrario, Francigenæ, Theobaldus præfectus et Petrus Leonis landegravius, cum Theutonicis et Pisanis, simul omnes collecti quatuor millia militum et centum peditum in exercitu Christi fuerunt; Salaadinus autem habebat centum millia militum et peditum multitudinem numerosam. Christiani vero signo sanctæ crucis armati circa horam diei tertiam bellum inchoantes, Deo partem illorum fovente, paganos usque ad tentoria fugaverunt, et in ore gladii eos insecuti septem acies infidelium turpiter confringendo dissipaverunt, Baldwinus Salaadini filium interfecerunt, Thacaldinum fratrem ejus lethaliter vulneraverunt, quingentos præter eos Salaadini milites peremerunt. Dum in hunc modum laudabiliter pugnaverunt, quinque millia militum ex improviso exeuntes insultum in Christianos

A.D. 1189. fecerunt; Salaadinus vero, hoc viso, vires suas vehementer exacuit; Christiani autem ex utroque latere angariati, vellent nollent pagani, passim sese in tentoriis viriliter receperunt: Magister tamen Templi et plures Christianorum eodem die perempti fuerunt.

*Nuntii ex parte regis Francorum venerunt ad regem Richardum, postulantes ut peregrinationem terræ sanctæ simul expedirent.*

Eodem mense Octobris Rotrodus, comes Perticensis, ex parte regis Francorum venit in Angliam ad regem Richardum, nuntians ei et baronibus Angliæ, ipsum et proceres regni Franciæ in generali conventu Parisius jurasse, quod idem rex cum suis baronibus immutabiliter, Deo volente, erit apud Vizeliacum<sup>1</sup> ad clausum Pascha, inde Hierosolymam profecturus; et in testimonium hujus sacramenti idem rex misit chartam suam regi Anglorum, petens ut ipse similiter cum suis magnatibus faciat eum securum ad illum terminum de suo itinere prosequendo; unde rex Anglorum, convocatis episcopis et regni proceribus apud Westmonasterium, a nuntiis prædictis accepto sacramento regis Francorum, quod immutabiliter iter suum expediret,<sup>2</sup> fecit jurare Willelmum, comitem et mareschallum suum, in animam suam, quod ipse, Deo volente, ad terminum præfixum erit apud Vize-liacum<sup>3</sup> contra regem Francorum, ut inde simul peterent terram promissionis; quo facto, nuntii ad propria sunt reversi.

Eodem anno, kalendis Novembris, Godefridus de Luci, Wintoniensis, et Hubertus Walteri, Saresburiensis electi, apud Westmonasterium in capella sanctæ Katherinæ per manum Baldewini, Cantuariensis archiepiscopi, munus consecrationis susceperunt.

<sup>1</sup> Vigiliacum in D. •

<sup>2</sup> Rex inserted in D.

<sup>3</sup> Vigiliacum in D.

*De concordia facta inter archiepiscopum Cantuariensem et monachos ejusdem loci, et rebus aliis.*

Eodem mense Novembris Johannes, Anagniæ<sup>1</sup> cardinalis, applicuit in Angliam apud Doveram, et, quia rex in partibus erat aquilonis, prohibitum est ei ex parte Alienor reginæ, ne ulterius procederet nisi per mandatum regis; unde per dies tredecim ibidem substitit sumptibus archiepiscopi, donec de capella de Akintuna pax inter archiepiscopum et monachos Cantuariæ firmaretur. Sed rex sapientissimus Richardus a partibus vocatus accessit et eodem mense Novembris finalem inter eos concordiam in hunc modum fecit; In primis, Rogerus prior, quem idem archiepiscopus contra monachorum voluntatem priorem fecerat, deponeretur, et capella, quam archiepiscopus in suburbio præter eorum assensum construxerat, prosterneretur, et monachi prædicti facerent archiepiscopo canonicam obedientiam et subjectionem secundum regulam sancti Benedicti, sicut facere consueverant prædecessoribus suis; et rex dedit ad petitionem archiepiscopi priori deposito abbatiam de Evesham. Provisum est etiam quod capella præfata non habeat baptisterium vel cœmeterium, neque administrationem nisi de uno tantum presbytero seculari.

A.D. 1189.

*Willelmus, rex Scotorum, apud Cantuariam fecit homagium regi Richardo.*

Eodem tempore Willelmus, rex Scotorum, apud Cantuariam fecit homagium regi Anglorum de jure suo in Anglia, et rex Richardus reddidit ei castellum de Rokesburc et castellum de Berewic; et pro hac redemptione castrorum, et quietâ clamatione fidelitatis et liganciæ de regno Scotiæ, et chartæ suæ confirmatione, dedit regi Anglorum decem millia marcas argenti.

---

<sup>1</sup> Agnaniæ in D.

*De munificentia regis Richardi.*

A.D. 1189. Eodem tempore rex Richardus dedit Johanni fratri suo comitatum Cornubiæ et comitatum Devonæ et comitatum de Sumersete et de Dorseto;<sup>1</sup> dedit etiam Alienor matri suæ dotarium consuetum, et, in augmentum, terras multas et honores.

*Ut rex Richardus in Normanniam transfretavit.*

Eodem tempore, quinto die Decembris, rex Richardus a civitate Cantuariensi recedens profectus est ad Doveram ad transfretandum, et in vigilia sanctæ Luciæ virginis transfretavit in Flandriam, et ibi receptus est cum gaudio et lætitia a comite Philippo, quem etiam rex in Normanniam secum duxit. Rex autem dimisit custodes regni Angliæ, Hugonem, Dunelmensem episcopum, et Willelmum, Eliensem, cancellarium suum, Hugonem Bardulphum et Willelmum Briwere, qui tenerent leges Angliæ et consuetudines rectas, ut unicuique conquerenti rectam justitiam exhiberent; sed inter cæteros præeminebant Hugo Dunelmensis et Willelmus Eliensis episcopi, quorum episcopus Dunelmensis habuit justiciariam a magno flumine Humbriæ usque ad Scoticum mare, Willelmus vero Eliensis obtinuit justiciariam a flumine prædicto ad plagam australem usque ad mare Gallicanum, cum sigillo regis et turre<sup>2</sup> Londoniensis; quod Hugo, Dunelmensis episcopus, nimis moleste ferebat, tunc primo intelligens, quod rex illum justiciarium fecerat, non zelo justitiæ, sed ut pecuniam, ut prædictum est, ab eo extorqueret; unde ipse et cancellarius in paucis unanimes erant, secundum illud,

— “ omnisque potestas  
“ Impatiens consortis erit.”

---

<sup>1</sup> Deserto in D.

| <sup>2</sup> Turris in D.

*Archiepiscopus terram Johannis fratris regis interdixit, sed cardinalis eam relaxavit.*

Per idem tempus Johannes, frater regis, coram A.D. 1189. legato et episcopis gravem deposuit querelam, quod archiepiscopus, post appellationem ad sedem apostolicam factam, totam terram suam posuerat sub interdicto, quia filiam comitis Gloverniæ, in tertio gradu consanguineam suam, duxerat in uxorem; quod audiens<sup>1</sup> legatus appellationem suam confirmavit et terram suam ab interdicto relaxavit.

*Decima pars rerum ad subventionem terræ sanctæ in Anglia datur.*

Eodem tempore decima pars rerum mobilium generaliter concessa per Angliam, et collecta ad subventionem terræ sanctæ, tam clerum quam populum exactione violenta perterruit, quæ sub eleemosynæ titulo vitium rapacitatis inclusit.

Eodem tempore Richardus Londoniensis et Willelmus Eliensis electi pridie kalendas Januarii apud Lamhciam<sup>2</sup> munus consecrationis acceperunt.

*Ut reges confœderati terram sanctam simul petere decreverint.*

Anno Dominicæ nativitatis MCXC. rex Anglorum A.D. 1190. Richardus ad natale Domini fuit in Normannia apud Burum, et ibi tenuit solemne festum cum primatibus terræ illius; et post natale habitum est colloquium inter reges Anglorum et Francorum ad vadum sancti Remigii, ubi inter eos convenit, quod iter Hierosolymitanum simul, ducente Domino, expedirent. Forma

<sup>1</sup> Auditus in C.

| <sup>2</sup> Lamhetam in C.

A.D. 1190. autem pacis in festo sancti Hilarii, præsentibus episcopis et magnatibus utriusque regni, cautione juratoria firmata est et in scriptum in hunc modum redacta; "Ego Philippus, rex Francorum, Richardo, regi Anglorum, bonam fidem servabo, ut fidei meo et amico, de vita et membris et honore terreno; et ego rex Anglorum Richardus idipsum regi Francorum facere promitto de vita et membris, ut domino meo et amico. Statuimus etiam, quod uterque nostrum alteri auxilium faciet, si necesse fuerit, ad terram suam defendendam, sicut alter nostrum propriam defenderet et illibatam servaret." Comites et barones utriusque regni juraverunt, quod a fidelitate regum non discederent nec guerram moverent, donec de peregrinatione redierint, et per dies quadraginta in terris suis cum pace moram fecerint; et idem uterque regum pro se ipso juravit. Archiepiscopi et episcopi utriusque regni juraverunt, quod in transgressores hujus pacti excommunicationis sententiam promulgarent. Statutum est præterea,<sup>1</sup> quod, si alter regum in itinere decessisset, alter, qui supervixerit, pecuniam defuncti et gentes haberet ad Dei servitium faciendum. Hæc constitutio inter reges habita, quia ad terminum præfixum robur firmitatis habere non potuit, distulerunt negotium usque ad festum nativitatis sancti Johannis Baptistæ, ut tunc tam reges quam universi cruce signati immutabiliter apud Vizeliacum<sup>2</sup> conveniant, peregrinationem terræ sanctæ expleturi. "Si qui autem contra hanc constitutionem nostram venire attentaverint, terræ eorum ecclesiastico subjicientur interdicto, et personæ poena excommunicationis punientur." His ita gestis, a colloquio recesserunt.

---

<sup>1</sup> Wanting in C.

| <sup>2</sup> Vireliacum in D.

*Willelmus, Eliensis episcopus, legatiam Anglice  
impetravit.*

Rex Anglorum Richardus cum nuntiis Willelmi, A.D. 1190.  
Eliensis episcopi, [nuntios suos] ad papam Clementem  
destinavit, a quo rescriptum hujusmodi impetravit ;  
“ Clemens episcopus, et cætera. Juxta commendabile  
“ desiderium carissimi in Domino filii nostri Richardi,  
“ illustris Anglorum regis, fraternitati tuæ legationis  
“ officium in tota Anglia et Wallia, tam per Cantuari-  
“ ensem quam per Eboracensem archiepiscopatum, et  
“ in illis Hiberniæ partibus, in quibus nobilis vir  
“ Johannes, comes Moretonii, frater ipsius regis, potes-  
“ tatem habet et dominium, auctoritate apostolica  
“ duximus committendum. Datum ij. Junii, pontifi-  
“ catus nostri anno tertio.”

*Ut Cantuariensis archiepiscopus Hugonem episcopum  
suspendit.*

Eodem anno Baldwinus, Cantuariensis archiepiscopus,  
Richardo Londoniensi episcopo scripsit in hæc verba ;  
“ Cum essemus apud Rothomagum, Hugonem fratrem  
“ nostrum Coventrensem episcopum, qui contra digni-  
“ tatem ordinis episcopalis officium sibi vicecomitatus  
“ usurpaverat, suspendimus a divinis ; qui postmodum  
“ nobis firmiter promisit, quod vicecomitatus curam  
“ in manus regis resignabit, nec se de cætero hujus-  
“ modi officiis immiscebit, unde a nobis beneficium  
“ absolutionis promeruit. Mittimus igitur ad vos  
“ eundem episcopum cum literis nostris<sup>1</sup> mandantes  
“ quatenus, vobis Rofensi episcopo cum clericis nostris  
“ adjuncto, eidem certum diem et locum statuatis et  
“ super articulis, pro quibus a nobis suspensus fuit,  
“ quod justum fuerit statuere non omittatis.”

---

<sup>1</sup> Patentibus inserted in C.

*De interitu Judæorum in diversis locis.*

A.D. 1190. Eodem anno multi, per Angliam Hierosolymam properantes, prius in Judæos insurgere decreverunt; Judæi igitur, quotquot inventi sunt, in domibus propriis apud Norwicum trucidati sunt, quidam vero habuerunt refugium ad castellum. Deinde nonis Martii apud Stanford tempore nundinarum multi perierunt; item quinto decimo kalendas Aprilis apud sanctum Eadmundum quinquaginta septem,<sup>1</sup> jugulati dicuntur; itaque, ubicumque reperti sunt Judæi, manibus cruce signatorum percussi sunt,<sup>2</sup> præter illos qui municipium præsidio tuebantur. Sed necem Judæorum tam exitiabilem viris prudentibus placuisse credendum non est, cum scriptum sit, "Ne occidas eos, nequando ob-  
" liviscantur populi mei."

*De Judæis apud Eboracum mirabiliter interfectis.*

Eodem anno tempore Quadragesimali, decimo septimo videlicet kalendas Aprilis, Judæi Eboracensis civitatis, numero quingenti, exceptis parvulis ac mulieribus, timentes impetum Christianorum, infra turrim civitatis, assensu vicecomitis et castellani ipsius turris, sese incluserunt; quam cum<sup>3</sup> custodes repetissent, Judæi eam reddere noluerunt. At illis insultum in turrim facientibus diebus et noctibus, Judæi in se reversi obtulerunt pecuniam magnam pro vita habenda, sed populus<sup>4</sup> eam recipere recusavit. Tunc surgens quidam legis peritus ait, "Viri Israelitæ, audite consilium  
" meum. Melius est nobis mori pro lege nostra, quam  
" incidere in manus inimicorum nostrorum, sicut lex  
" nostra præcepit." Omnes itaque assensum illi præ-

<sup>1</sup> Sex in C.

<sup>2</sup> The six preceding words wanting in C.

<sup>3</sup> Wanting in C.

<sup>4</sup> There is a lacuna in the Cottonian Codex at this point. The text is resumed at the word *Hissol* done, p. 178.



buerunt, et accedens unusquisque paterfamilias cum A.D. 1190. novacula acuta inprimis inciderunt guttura uxorum et filiorum et filiarum suarum et inde totius familiæ suæ, projeceruntque mortuos suos, quos sacrificaverunt dæmoniis, super Christianos extra murum; alios autem interfectos et seipsos incluserunt in domo regia, et, appposito igne, seipsos, cum domibus regiis combusserunt. Quo facto, cives et milites ædificia Judæorum concremantes, cum chartis debitorum, thesaurum eorum sibi retinuerunt.

*Gaufridus, Eboracensis electus, presbyter est ordinatus.*

Circa dies istos Willelmus episcopus, regis cancellarius et Angliæ justiciarius, cepit ad opus regis de singulis civitatibus Angliæ duos palefridos et totidem summarios, et de abbatiis singulis unum palefridum et summarium unum.

Eodem tempore Johannes, episcopus Candidæcasæ, Eboracensis ecclesiæ suffraganeus, Gaufridum, Eboracensem electum, in presbyterum ordinavit. Per idem tempus electio prædicti Gaufridi a papa Clemente confirmatur, qui inter cætera, quæ capitulo Eboracensi scripsit, in fine subjunxit, "Monemus igitur universitatem vestram, et per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi ceu prælato vestro reverentiam et honorem impendere studeatis, ut propterea valeatis apud Deum et homines commendabiles apparere. Datum Laterani, nonis Martii, pontificatus nostri anno tertio."

*De dispositione exercitus Christianorum in obsidione urbis Achon.*

Eodem tempore exercitus Christianorum ante Achon in hunc modum locatus est; Ante montem Musardi supra mare Januenses, post illos Hospitalarii, post quos

A.D. 1190. — marchio Montis-Ferrarii; deinde comes Campaniæ Henricus, post illum Guido Duinperc, post quem comes Brenensis; deinde comes de Barro, post illum comes Calunsis, post quem comes Robertus de Drius et episcopus Beluacensis; post illos episcopus Besencenæ, juxta quem versus planum comes Theobaldus, et comes de Claro-monte, et Hugo de Gornai, et Otho de Tressoni, Florentius de Haugi, et Walkelinus de Ferrariis; deinde Florentini, post eos episcopus Cambracensis, juxta quem episcopus Saresberiensis et cum eo omnes Angli; deinde dapifer Flandriæ cum Johanne de Neele, et Odone de Hame et Flandrensibus; post eos dominus Hissoldone et vicecomes Turoniæ, juxta eos rex Hierusalem et Hugo de Tabari cum fratribus eorum; deinde Templarii, Jakes de Avenes, post eos Landegravius et comes Galres cum Alemannis, Dacis, Theutonicis et Frisonibus,<sup>1</sup> inter quos ad mahumeriam posuit tentoria sua dux Suaviæ; post, super turrem, patriarcha et episcopus Acharon et episcopus Bethleem et vicecomes de castello Eraud et Reginaldus de Sagitta, Amfridus de Turona, et sub Turone escambiatores; ad extremum, super portum, archiepiscopus Pisanus cum Pisanis; tandem Lombardi.

*Capella in honorem beati Thomæ martyris apud  
Acharon fabricata est.*

Circa dies istos, cum primum obsessa fuisset Achon, capellanus quidam, nomine Willelmus, natione Anglicus, Radulfi de Diceto, Londoniensis decani, familiaris, dum tenderet<sup>2</sup> Hierosolymam votum vovit, quod, si prospero cursu portum Achon intraret, beato martyri Thomæ sumptibus suis capellam construeret, et procuraret ibidem ad honorem martyris cœmeterium con-

<sup>1</sup> Frozonibus in C.

‡ <sup>2</sup> Teneret in C.

secrari, quod ita factum est. Multis igitur ad capellæ A.D. 1190. servitium undique concurrentibus, iudicio Christianitatis idem Willelmus prioris nomen accepit, qui, ut se militem Christi devotum ostenderet, pauperum præcipue curam gerebat, et sepeliendis corporibus, tam fataliter decumbentibus quam gladio interfectis, operam diligenter impendere satagebat.

*De principibus exercitus Salaadini.*

In Achon civitate sub Salaadino hii principes fuerunt; Caracos, quem Corbaran in obsidione Antiochiæ militem fecerat, qui etiam Salaadinum nutrit, et cum eo Gemaladin, Gurgi, Suchar, Simcordoedar, Belhagessemin, Fecardincerus, et Cerantegadin. In exercitu autem ejus hii principes fuerunt; quatuor fratres ejus, Saphadin, Felkedin, Sefelselem, Melkalade; tres filii Salaadini, Miralis, Melcaleth, Melcalezis; duo nepotes ejus, Techaedin,<sup>1</sup> Benesemedin, Coulin, Elaisar, Bederim, Mustop, Hazadinnersele. Hii omnes habent in sua potestate has provincias, Joramenses, Rotasienses, Birenses, Persas, Turcos, Hemienses, Alexandriam, Damietam, Halapitos, Damascenos, totam terram ultra Euphratem usque Mare rubrum et ultra versus Barbariam. Metalech<sup>2</sup> sub se habet Babyloniam, et quatuor fratres Salaadini habent sub se Abesiam, Leemen, et Mauros, et Nubiam, Caisar, Ascalonie, Amiras, Bedredin, Amirasen,<sup>3</sup> et Nazareth, et Neopolin, et Kamele, Mustop Lice, et Maruch; Hazadinnersele, Montis-regalis et Gracei, Corisin, cujusdam partis Armeniæ; et hiis omnibus præest et dominatur Salaadinus.

<sup>1</sup> Tchaebadin in C.

<sup>2</sup> Mechaleb in C.

<sup>3</sup> Amiras in C.

*Ut machine Christianorum a Saracenis sunt  
combustæ.*

A.D. 1190. Eodem anno ignis Græcus a Saracenis, intra Achon civitatem obsessis, extra projectus tres machinas, quas Christiani magnis sumptibus construxerant ad urbem subjugandam, in momento temporis brevissimi funditus concremavit, et omnia tertio nonas Maii in cinerem redegit.

*De proditoribus Christianitatis.*

Eodem tempore Anserius de Monte-regali detexit proditionem, quam fecerant ipse et episcopus Beluacensis, comes Robertus, frater ejus, Guido Dunperc, Landegravius, et comes de Gelres, unde ceperant a Salaadino triginta duo millia bizantium et centum marcas auri, et præterea Landegravius habuit quatuor camelos, duos leopardos et quatuor accipitres; his et aliis donis corrupti distulerunt insultum et castella sua comburi permiserunt.

*Literæ regis Richardi pro cancellario suo.*

Eodem tempore Richardus, Angliæ rex, omnibus fidelibus suis per Angliam constitutis literas in hæc verba direxit; "Richardus, Dei gratia, et cætera  
" Mandamus vobis et præcipimus, quod, sicut nos et  
" regnum nostrum diligitis et vos ipsos et omnia quæ  
" possidetis, sitis omnino intendentes dilecto et fidei  
" cancellario nostro, Eliensi episcopo, super omnibus  
" quæ ad nos spectant, et pro ipso faciatis, sicut pro  
" nobis faceretis si essemus in regno, de omnibus quæ  
" vobis ex parte nostra dixerit. Teste me ipso apud  
" Baionam."

*De rectoribus navigii regis Richardi, et legibus in transgressores statutis.*

Circa dies istos Richardus, rex Anglorum, per con- A.D. 1190.  
 silium magnatum suorum elegit Girardum, archiepiscopum Auxiensem, et Bernardum, episcopum de Barvia, et Robertum de Sabulis, Richardum de Canvilla [et] Willelmum de Foret, et constituit eos justiciarios super totum navigium Angliæ, Normanniæ, Britanniae et Pictaviæ, quod iturum erat ad terram sanctam, et tradidit illis chartam suam in hac forma; "Richardus, " Dei gratia rex Anglorum,<sup>1</sup> omnibus hominibus suis " per mare ad terram sanctam ituris, salutem. Sciatis " nos de proborum consilio virorum has justitias sta- " tuisse; Qui hominem in navi interfecerit, cum mor- " tuo ligatus projiciatur in mare; si in terra inter- " fecerit quemquam, cum mortuo ligatus confodiatur; " si quis convictus fuerit, quod cultellum ad alium " percutiendum extraxerit, aut quod alium ad sangui- " nem percusserit, pugnum perdat; si autem palma " percusserit, tribus vicibus mergatur in mari; si " quis in socio opprobrium, convitium, aut odium " Dei objecerit, quot vicibus ei convitatus fuerit, tot " uncias argenti reddat; latro convictus de furto, pix " bulliens super caput ejus effundatur et pluvia pul- " vinaris super caput ejus excutiat<sup>2</sup> ad cognoscen- " dum eum,<sup>3</sup> et in prima terra, qua naves applicuerint, " projiciatur." Has autem constitutiones ab omnibus fore conservandas,<sup>4</sup> et quod singuli præfatis justiciariis obedirent, fecit sacramento confirmari; quo facto, præcepit rectoribus navigii sui, ut protinus mare sulcantes apud Marsiliam venirent ad eum.

---

<sup>1</sup> Angliæ in C.

<sup>2</sup> Wanting in C.

<sup>3</sup> Illum in C.

<sup>4</sup> Observandas in C.

*Ut rex Richardus apud Vizeliacum peram et  
baculum suscepit.*

A.D. 1190. Eodem tempore duo reges, Francorum videlicet et Anglorum, convenerunt apud Vizeliacum, ubi corpus beatæ Mariæ Magdalenæ requiescit, in octavis sancti Johannis Baptistæ, et per duos dies ibi moram fecerunt; et rex Anglorum ibi peram recepit et baculum, in ecclesia sancti Dionysii. Deinde reges cum tota multitudine profecti venerunt ad Lugdunum super Rhodanum, ubi, cum ipsi et maxima pars exercitus sui pontem Rhodani pertransissent, pons ille corruiet et multos utriusque sexus submersit. Postea vero reges divisi sunt ab invicem propter nimiam hominum multitudinem, non poterat enim locus unus ambos continere; unde rex Francorum versus Januensem civitatem iter arripuit, et rex Anglorum versus Messanam; quo cum pervenisset, invenit ibi multos peregrinos, qui jam propter diuturnam moram, quam ibi fecerant, totum æs suum expenderant, quorum multos rex Richardus retinuit et illos exercitui suo conjunxit. Cumque rex ibidem per dies octo moram fecisset, sperans quotidie adventum navigii sui, fraudatus a desiderio suo buccas decem magnas, novem galeias bene armatas, conduxit, quas propter moram navigii anxius intravit; et, ne otiosus interim esse videretur, transivit cum manu armata et robusta per insulam sancti Stephani, et per Aquileiam, et per Montem-nigrum, per insulam sancti Honorati, per civitatem de Meis, et per civitatem quæ dicitur Wintilimine. Deinde transitum fecit per castellum, quod Seine nuncupatur, et eodem die locutus est cum rege Francorum, qui ibi infirmabatur. Quarto decimo die mensis Augusti venit rex Anglorum ad portum Delphini et ibi per dies quinque moram fecit; et ibi misit ad eum rex Francorum rogans ut accommodaret<sup>1</sup> quinque

---

<sup>1</sup> Ei inserted in C.

galeias, et rex Anglorum obtulit illi tres, quas rex A.D. 1190  
Francorum recusavit. Deinde vigesimo quarto die  
Augusti venit rex ad portum, qui Porteswere<sup>1</sup> appel-  
latur, qui media via est inter Marsiliam et Messanam,  
sicque loca pertransiens diversa intravit Tyberim, ad  
cujus introitum turris pulcherrima sita est; et ibi venit  
ad regem Octavianus, Hostiensis episcopus, rogans eum  
ex parte domini papæ ut illum visitaret; quod facere  
renuens rex improperavit illi turpia de symonia et  
concupiscentia Romana et alia convitia multa, dicens  
quod acceperant septies centum marcas pro consecra-  
tione episcopi Cenomanniæ, et pro legatione Willelmi,  
Eliensis episcopi, mille et quingentas marcas argenti,  
necnon ab archiepiscopo Burdegalensi, qui a clericis  
suis accusabatur de crimine, pecuniam infinitam;  
sicque Romam visitare renuens prope Capuam Apu-  
liam intravit.

*Ut rex Richardus Arthurum, nepotem suum,  
hæredem sibi constituit.*

Per idem tempus rex Siciliæ Tancredus, qui Wil-  
helmo regi successerat, ut regi Richardo pacificaretur,  
dedit eidem regi pro relaxatione omnium rerum quas  
petebat viginti millia unciarum argenti, et totidem  
uncias auri pro quieta clamantia testamenti, quod rex  
Willelmus fecerat Henrico regi patri suo, et pro ma-  
trimonio quod erat contrahendum inter Arthurum,  
ducem Britanniæ, et filiam regis Tancredi; ubi etiam  
rex constituit eundem Arthurum hæredem suum legi-  
timum si sine hærede moriretur; quo facto, rex viam  
sue peregrinationis explere maturavit.

---

<sup>1</sup> Porteswerre in C.

*Ut regina Alienor, a filio recedens, Berengariam cum eo reliquerit.*

A.D. 1190. Eodem tempore regina Alienora, filii sui regis iter prosecutura, et transitum faciens per montem Jani et per Italiae plana, tandem ad filium pervenit; cum quo quatuor dierum moram faciens licentiata versus Angliam recessit, relinquens ibi Berengariam filiam regis Navarræ, quam idem rex ducturus erat uxorem; dederat namque rex Richardus regi Francorum decem millia libras pro quietâ clamatione<sup>1</sup> de sorore sua ducenda, quo etiam pacto rex Francorum calumniam, quam habebat in castello de Gisorz et de toto Vegesin, in perpetuum relaxavit.

Eodem anno Fredericus, Romanorum imperator, annum agens imperii quadragesimum, dum per Bulgariam Hierosolymam tenderet et ab Yconio versus Antiochiam transitum faceret, in fluvio, qui Saphet appellatur, exercitu suo salubriter transeunte, solus equo decidens submersus est.

*Ut beatus martyr Thomas rectoribus navigii regis Richardi apparuerit.*

Eodem anno navigium regis Angliæ, per mare multis fatigatum periculis, cum versus Ulixebonam velificarent, et præterissent quandam terram in mari protensam, quæ Godester appellatur, et præterissent Britanniam, habentes sanctum Matthæum de finibus terræ in sinistra parte, et mare magnum, quo iter Hierosolymam, in dextra, dimiserunt Pictaviam et Wasconiam in sinistra parte navigii. Et, cum venissent in mare Hispanicum, die Dominicæ ascensionis invasit navigium tempestas valida et horribilis, et separatum est ab invicem in momento; et dum tempestas sæviret, et omnes, dum tribularentur, clamarent ad Dominum,

---

<sup>1</sup> Clamantia in C.



beatus. martyr Thomas, Cantuariensis archiepiscopus, A.D. 1190. per tres vices tribus personis, quæ erant in navi<sup>1</sup> Londoniensium, visibiliter apparuit, dicens eis, "Nolite terreri, ego enim et beatus martyr Edmundus et sanctus confessor Nicolaus constituti sumus a Domino hujus navigii regis Angliæ defensores; et si homines et hujus navigii rectores<sup>2</sup> a pravis se operibus custodierint, de præteritis etiam poenitentiam egerint, dabit illis Dominus prosperum iter et in semitis suis gressus eorum dirigentur."<sup>3</sup> His itaque sub trina repetitione auditis, beatus Thomas evanuit et protinus tempestas cessavit.

Fuerunt autem in hac navi qui dicebatur Willelmus cum Barba, Willelmus filius Osberti et Gaufridus aurifaber, et cum eis cives Londonienses multi, qui jam præterierant Ulixebonam et caput sancti Vincentii, et pervenerant prope civitatem Sylvaniae, quæ tunc temporis ultima erat Christianitatis in Hispania, et erat ibi adhuc Christiana fides novella, utpote quæ in anno proximo præterito facta est Christicola et de manibus paganorum erepta; cumque prope civitatem navigassent, cognoverunt per indicia notissima quod Christiani ibi habitarent; navis Londoniensis illo se contulit, et cum magno honore ab episcopo et aliis omnibus recepti sunt. Erant autem in navi illa plusquam quater viginti juvenes bene armati, quos retinuit in servitio suo præ timore imperatoris de Maroch populus civitatis et rex Portugalensis, facientes eis omnimodam securitatem de stipendio pro voto competenti, et insuper quod ex abundanti magnam eis munificentiam providerent. Decem præterea naves regis Angliæ,<sup>4</sup> nimis cum suis rectoribus huc atque illuc dissipatæ, tandem, Domino ducente, ad civitatem Ulixebonam pervenerunt, ascendentes per fluvium, qui Tagus nun-

<sup>1</sup> Nave in C.

<sup>2</sup> The ten preceding words wanting in C.

<sup>3</sup> Diriguntur in D.

<sup>4</sup> Naves regis Angliæ wanting in C.

A.D. 1190. cupatur. Deinde archiepiscopus Auxiensis, Robertus de Sabulis, Richardus de Canvilla et Willelmus de Forz, transeuntes cum navigio inter Africam et Hispaniam, post tempestates plurimas in octavis sanctæ Mariæ ad Marsiliam pervenerunt cum toto navigio sibi commisso; ubi, Anglorum rege invento, moram fecerunt propter quosdam navium necessarios apparatus.

*Ut Baldewinus, Cantuariensis archiepiscopus, et quidam alii apud Tyrum applicuerunt.*

Eodem tempore Baldewinus, Cantuariensis archiepiscopus, Hubertus Saresbiriensis, et Ranulphus de Glanvilla, quondam Angliæ justiciarius, qui præveniant regem Angliæ versus Hierosolyman, itinere recto tendentes a sinistro Siliciam reliquerunt, et post pericula multa tandem circa festum sancti Michaelis apud Tyrum applicuerunt. Johannes vero, episcopus Norwicensis, papam adiit, et, accepta licentia, Dominicam ibi crucem deposuit et sic sacellis evacuatis ad Angliam rediit<sup>1</sup> absolutus.

*De conflictu inter reges apud Messanam.*

Eodem tempore rex Francorum Philippus decimo sexto kalendas Octobris apud Messanam applicuit, et hospitatus est in palatio regis Tancredi; rex vero Richardus superveniens nono kalendas ejusdem mensis ingressum civitatis habere non potuit, Francigenæ enim metuebant ne victualia duobus regibus sufficerent, quos multitudo maxima sequebatur. Quod cum rex Richardus cognovisset, misit marescallos suos ad majores civitatis, petens ut exercitui suo victualia venderent, ne escarum penuria laborarent; et cives

---

<sup>1</sup> Wanting in C.

portas aperire, et benigne tantum principem recipere, A.D. 1190. —  
 volentes, Franci non permiserunt, sed armati muros  
 ascendentes portas defendere laborabant. Quo facto  
 rex Richardus jussit exercitui suo ad arma convolare,  
 sibique et suis ingressum, hostibus invitis, præparare;  
 qui illico præceptis regiis obtemperantes valvas inva-  
 serunt, multisque ex Francigenis interfectis, violenter  
 intraverunt, atque prævio rege omnes in fugam com-  
 pulerunt. Hoc factum cum pervenisset ad aures regis  
 Francorum, maximam adversus regem Anglorum in-  
 dignationem in animo concipiens nunquam eam depo-  
 suit quamdiu supervixit; veruntamen eodem die col-  
 loquium habentes pacificum nullam omnino mentionem  
 de rebus gestis fecerunt.

*Ut rex Richardus quasdam munitiones subjugavit.*

Eodem tempore, octavo kalendas Octobris, rex Fran-  
 corum naves ascendit, sed, quoniam ventus erat con-  
 trarius, ipsa die Messanam rediit; et rex Richardus  
 pridie kalendas Octobris transiit fluvium, qui Far  
 dicitur, et cepit in Calabria locum munitissimum, qui  
 Labamare appellatur; posuit in eo sororem suam  
 Johannam, quondam Siciliæ reginam, et rediit ad  
 Messanam. In crastino autem cepit castellum inter  
 Calabriam et Messanam, quod monasterium Grifonum  
 nuncupatur; ubi Grifones insultum facientes in Hugo-  
 nem Brunum, comitem Marchiæ, a rege Richardo  
 repulsi sunt, qui, januis clausis civitatis, ad propugna-  
 cula murorum se conferentes homines et equos regis  
 occiderunt et quosdam vulneraverunt. Tunc rex iratus  
 portas civitatis confregit et civitatem cepit, homines-  
 que suos in ea posuit quarto nonas Octobris, et tertio  
 nonas ejusdem obsides ei dederunt de pace servanda  
 majores civitatis; quo facto, firmavit ibidem castrum,  
 quod Mategrifum appellatur.

A.D. 1190. Tunc habitum est concilium provinciale apud Westmonasterium, præsidente Willelmo, Eliensi episcopo et apostolicæ sedis legato, idibus Octobris, in quo pauca vel nulla provisæ sunt de ædificatione ecclesiæ Anglicanæ.

*Ut ecclesia Normannica a servitutis jugo fuerit liberata.*

Circa dies istos ecclesia Dei in Normannia de longo servitutis jugo liberata est, glorioso rege Richardo annuente et omnia disponente. In primis determinatum est, et a rege concessum, de clericis, quod nulla occasione a secularibus capientur potestatibus, sicut fieri consueverat, nisi pro homicidio, furto, incendio et hujusmodi enormi flagitio; qui continuo, cum requisiti fuerint a iudicibus ecclesiasticis, quiete<sup>1</sup> et sine more reddentur in curia ecclesiastica iudicandi. Item, generaliter omnes de fidei læsione vel juramenti transgressionem quæstiones in foro ecclesiastico tractabuntur. Item, quæstiones de dote vel donatione propter nuptias, quando mobilia vel se moventia petuntur, ad ecclesiam referentur. Item, in ecclesiis conventualibus abbates vel priores<sup>2</sup> aut abbatissæ cum assensu sui episcopi eligentur. Item, nulla fiet recognitio in foro seculari, si charta vel alio modo elemosynatam esse possessionem viri ecclesiastici probare poterint, sed ad ecclesiasticos iudices remittentur. Item, distributio rerum, quæ in testamento relinquuntur, auctoritate ecclesiæ fiet; nec decima pars, ut olim<sup>3</sup> subtrahetur. Item, de bonis clericorum, etsi dicantur fuisse usurarii, vel quocumque mortis genere præventi, nihil pertinet ad secularem potestatem, sed episcopali auctoritate in opera pietatis distribuentur. Item, quicquid laici in

<sup>1</sup> Quieti in D.

<sup>2</sup> Vel priores wanting in C.

<sup>3</sup> Ut olim wanting in D.

vita sua donaverint, vel quocumque titulo a se alienaverint, etsi usurarii fuisse dicantur, post mortem non revocabitur; quæ vero post mortem non alienata inveniuntur, si cognitum<sup>1</sup> fuerit ipsos tempore mortis fuisse usurarios, confiscabuntur. Item, si mortuus habuerit aliquod vadium, unde sortem suam perceperit, portio ipsius libera ad eum qui invadiavit, vel ad hæredes ipsius, revertetur; idem fiet de portionibus uxoris et filiorum ejus post mortem ipsorum. Si quis enim subitanea morte vel quolibet casu præoccupatus fuerit, ut de rebus suis disponere non possit, distributio honorum ejus ecclesiastica auctoritate fiet.

*De morte Baldewini, Cantuariensis archiepiscopi.*

Eodem tempore Baldewinus, Cantuariensis archiepiscopus, dum apud Achon in extremis laboraret, omnia sua ad subventionem terræ sanctæ legavit; post cujus decessum Hubertus, Saresbiriensis episcopus, ab eo executor constitutus fideliter bona ipsius pia erogatione distribuit, et de castrorum excubiis summopere sollicitus militibus viginti et servientibus quinquaginta, sicut decreverat idem archiepiscopus adhuc vivens, per dies plurimos debita stipendia persolvit, pauperum semper curam agens, erga destitutos auxilio misericordiæ oculos reflectens, officium boni præsulis per omnia implens. Civitas<sup>2</sup> vero Achon Christianis post multos insultus fortiter restitit, quia muris, gentibus et machinis satis erat munita, et Salaadinus circa obsidionem exercitum suum undique conglobatum habebat, unde tam de subtractione Christianorum, quam de amissione ibidem mortuorum, exercitus Christi erat nimium imminutus; veruntamen Christiani de consolatione Christi confidentes, molestias obsidionis et labores, usque ad adventum regum sperant se posse

<sup>1</sup> Recognitum in C.

| <sup>2</sup> Civitates in C.

A.D. 1190. sustinere, si videlicet circa sequens Pascha venerint, sin autem, et pecunia deficiet et spes terrenæ consolationis evanescet.

*De superbia Willelmi, Eliensis episcopi et Angliæ cancellarii.*

Sub hiis diebus Willelmus, Angliæ justiciarius et apostolicæ sedis legatus, fecit turrin Londoniarum fossato profundissimo circumcingi, sperans se posse Tamisiam fluentia in urbem<sup>1</sup> ducere, sed post multos de fisco sumptus se laborasse inutiliter comprobavit. Erat præterea idem cancellarius maximus inter omnes occidentales, rex et sacerdos in Anglia, qui omnia pro nihilo ducebat, cum episcopali tantum dignitate non contentus nimis alta se sapere denotavit; in prima namque literarum suarum fronte vanitatem et elationem expressit cum dixit, "Willelmus, Dei gratia Eliensis episcopus, domini regis cancellarius, totius Angliæ justiciarius et apostolicæ sedis legatus, salutem," et cætera. Has autem dignitates, quas pretio obtinuerat, immoderato excessu exercuit, volens sacellos, quos in earum impetratione evacuaverat, reficere. Pecuniam suam distribuit ad mensam, ut iterum rediens cum usuris utique extorqueret illam; nam legationis officium, quod mille fuis argenti libris adquisierat, adeo immoderate peregit, ut omnibus Angliæ ecclesiis tam conventualibus quam cathedralibus fieret onerosus, siquidem mille et quingentis per Angliam evectus equitaturis, clericorum stipatus catervis militumque vallatus agminibus, omnia fere, quæ episcopali reverentiæ congruunt, prætermisit. Illi omnes filii nobilium adstabant in mensa, quos suis neptibus<sup>2</sup> et consanguineis puellis copulavit per matrimonia, felices se existimantes quos familiares habebat. Non fuit

<sup>1</sup> Orbem in D.

| <sup>2</sup> Neptis in D.

terra venalis, quam non emeret, ecclesia vel abbatia A.D. 1190.  
vacans, quam non daret aut retineret, custodia castel-  
lorum aut villarum quam vel metu vel pretio non ob-  
tineret; his autem et his similibus multis terrorem  
incussit. Siluit regnum Angliæ a facie ejus, nec fuit  
qui obmurmuraret, cum sibi in Anglia nihil ad ex-  
pugnandum restaret. Sequebantur illum

Ambubaiarum collegia, pharmacopolæ,  
Mendici, mimæ, balatrones, hoc genus omne,

ut illi omni musicorum genere et modulationibus vo-  
cum obsequeretur in terris, sicut angeli sancti omni-  
potenti Deo obsequuntur in cœlis; hoc autem totum  
fecit, ut cum Domino a pari contendere videretur, sed  
hæc omnia quem finem sint habitura, sequens relatio,  
cum id tempus obtulerit, non tacebit.

*De morte multorum apud Achon.*

Anno Dominicæ nativitatis MCXCI., post mortem A.D. 1191.  
venerabilis viri Baldewini, Cantuariensis archiepiscopi,  
in obsidione Achon defuncti sunt nobiles et in omni  
probitate experti milites Randulphus de Fulgeres,  
comes Robertus Perticensis, Theobaldus Blesensis,  
comes Stephanus frater ejus, comes et filius impera-  
toris Frederici, comes de Ferrariis, comes Robertus  
Leucestrensis, Ranulphus de Glanvilla, Radulphus de  
Altaripa, archidiaconus Colecestrensis, et alii innu-  
merabiles cum eis, ex aeris nimia corruptione, ut  
dicunt; reges vero Francorum et Anglorum in Sicilia  
moram fecerunt donec veniret tempus vernale, quo  
possent tutius maris pericula evitare.

Eodem anno<sup>1</sup> Clemens papa, cum sedisset anno uno  
et mensibus duobus, diem clausit extremum, cui suc-  
cessit Cælestinus, qui antea Hyacinthus vocabatur.

---

<sup>1</sup> Tempore in C.

*Ut rex Francorum Philippus et rex Anglorum Richardus apud Messanam naves ascenderint.*

A.D. 1191. Eodem anno, quarto kalendas Aprilis, rex Francorum apud Messanam naves ascendit atque versus Hierosolimam via recta vela direxit. Rex vero Richardus, quarto idus Aprilis in magna gloria illum secutus, habuit in comitatu suo tredecim buccas triplici velorum expansione velificatas, habuit præterea centum naves onerarias et quinquaginta galeias triemes; qui circa diem vigesimum Rhodon insulam subintrans, decursis<sup>1</sup> diebus decem, apud Cyprum applicuit. Cursac autem dominus insulæ, qui se imperatorem nominavit, in manu forti et armata regi portum prohibiturus occurrit, et homines naufragos regis quamplurimos cepit, spoliavit et in carcerem fame perituros reclusit; unde rex Anglorum magnificus ira succensus iniit cum hoste jam dicto congressum, a quo festinam adeptus victoriam ipsum victum et vinctum retinuit, et filiam ejus unicam totamque Cypri insulam cum universis munitiombus suæ subdidit ditioni. Cursac cum rege pactum iniit, ne ferreis detineretur in vinculis, quod rex pactum observans eum compedibus<sup>2</sup> fecit aretari argenteis et in castello prope Tripolim, quod<sup>3</sup> Margeth appellatur, retrudi præcepit; filiam autem ejus retinuit, cum duabus reginis in thalamo suo honorifice custoditam. Rex autem sapientissimus, ob sui suorumque recreationem ac victualium aggregationem recentium, post tædiosam maris vexationem ibi sine alicujus dispendio pausare decreverat, sed præfatus Cursac videlicet interdixit, ne fines suos ingredi attentaret; interdixit insuper, ne quis suorum exercitui regis Anglorum victualia venderet aut exponeret res venales, unde regis animum ad iracundiam provo-

<sup>1</sup> Decursibus in C.

<sup>2</sup> Wanting in C.

<sup>3</sup> Quæ in D.



cans compulit illum, ut præfatam ei injuriam irro- A.D. 1191.  
garet. Tandem vero, cum totius insulæ thesaurum  
obtinuit et ibidem omnia pro voto disposuisset, de-  
sponsavit ibi filiam regis de Navarria, nomine Beren-  
gariam, quam regina Alienor ad eundem regem ad-  
duxerat in Sicilia commorantem. Eodem tempore  
papa Cælestinus consecravit in imperatorem Henricum,  
filium Frederici imperatoris, in Paschali solemnitate,  
feria quarta.

Eodem tempore comes Flandrensis Philippus cum  
rege Francorum in terram sanctam proficiscens absque  
liberis obiit.

*Ut Gaufridus, Eboracensis archiepiscopus, apud  
Doveram incarceratus fuerit.*

Per idem tempus, ex mandato summi pontificis,  
Bartholomæus, Turonorum archiepiscopus, Gaufridum,  
Eboracensem electum, episcopum consecravit, qui post  
consecrationem suam ad Angliam tendens apud Dove-  
ram cum suis applicuit. Matthæus de Clere, vice-  
comes illius comitatus, paulo ante literas Willelmi,  
Eliensis episcopi, susceperat in hæc verba; "Præcipi-  
" mus tibi, quod, [si] Eboracensis electus ad aliquem  
" portum in balliva tua applicuerit, aut aliquis nun-  
" tiorum ejus, eum retineri facias donec mandatum  
" nostrum inde receperitis; et similiter præcipimus,  
" quod omnes literas domini papæ, aut alicujus magni  
" viri, qui illuc venerint, facias retineri." Matthæus  
vero, cum archiepiscopi adventum cognovisset, non  
segniter sibi injuncta cum consilio sororis Eliensis epi-  
scopi, quæ tunc castellum custodiebat, peragens, per  
sex dies cum armatorum multitudine fecit [eum] in  
prioratu sancti Martini nequiter obsideri, quem etiam  
in tantum coarctavit, ut vix ei medio tempore victua-  
lia possent emendicata<sup>1</sup> conferri; nam perfidorum ma-

<sup>1</sup> Ei repeated in D.

A.D. 1191. litia in deterius proriente, milites Eliensis episcopi cum armatorum multitudine venerunt ad ecclesiam præfatam cum fustibus, et armis irruentes in archiepiscopum firmiter indixerunt, ut de regno sine mora in Flandriam cum suis navigaturus exiret; quod facere recusans archiepiscopus, stolam in collo gerens, in manibus crucem bajulans, ab altaris cornu per pedes, per crura, per brachia, colliso capite in pavementum, violenter extrahitur, et per viam lutosam, per loca immunda, cum clericis suis et viris religiosis, qui de partibus multis ad ipsum videndum convenerant, perductus est in castellum et detrusus in carcerem, [et] per dies octo sub arcta custodia servabatur. Quod audiens episcopus Londoniensis cum festinatione venit ad cancellarium, a quo post multas supplicationes vix tandem obtinuit liberationem archiepiscopi, episcopatu suo toto quasi pignore<sup>1</sup> obligato. Carcerem itaque egrediens archiepiscopus Londonias venit, ubi ab episcopo Londoniensi et clero et populo honorifice susceptus est cum processione solemnī. Hæc profecto temeraria præsumptio postmodum in cancellarii dejectionem, ut in sequentibus dicetur, plurimum redundavit.

*Nota eclipsim solis.*

Eodem anno, mense Junii, in vigilia sancti Johannis Baptistæ, die Dominico, eclipsis solis<sup>2</sup> apparuit circa horam diei sextam et perduravit<sup>3</sup> usque ad horam octavam, luna vigesima septima, sole in signo Cancrī existente.

<sup>1</sup> Pignoris in D.

<sup>2</sup> Wanting in C.

<sup>3</sup> Duravit in C.

*Ut rex Richardus [navem quam dromundam  
appellant, cepit.]<sup>1</sup>*

Circa dies istos rex Francorum Philippus duodecimo A.D. 1191. kalendas Aprilis<sup>2</sup> apud Achon applicuit, quem rex Richardus insecutus cum magna victualium copia apud Cyprum naves ascendit. Audiens autem exercitum domini regis Francorum magna famis inedia laborare apud Achon, ita ut sextarius frumenti sexaginta marcis venderetur, onustis navibus multis alimentorum copiis, tantæ calamitati miseris que succurrere maturavit; qui dum prospero ventorum flatu versus Achon, quæ civitas antiquo vocabulo Ptolomaida dicebatur, vela dirigeret, octavo idus Junii apparuit illis navis quædam permaxima, quam dromundam appellant, missa a Saphadino, fratre Salaadini, Soldano Babylonis de civitate Baruth immensis referta divitiis, quæ obsessis infra urbem Achon paganis opem erat allatura: erat<sup>3</sup> præterea in navi illa ignis Græcus, serpentum<sup>4</sup> ignitorum plurima vasa plena, et robustorum hominum<sup>5</sup> mille et quingenti, quorum suffragio navis muniretur. Instructis igitur in momento temporis regis Richardi ad bellum agminibus, galeiarum concursu undique fit insultus acerrimus, sed navis ventorum destituta solatio immobilis permanebat. Tandem quidam remigum, mergendi sub aquis arte eruditus, natans sub latice accessit ad navem et eam quantocius terebro perforavit; qua perforata, nauta, Christum habens tutorem, ad galeiam de qua exivit reversus regi quæ fecerat declaravit; deinde modico tractu temporis aqua subintrans omnia navis tabulata transcendit, et hominibus, qui prius in propugnaculis

<sup>1</sup> Two leaves are wanting at this point in D. which are supplied from Mr. Luard's edition of Matthew Paris (Chron. and Mem., Vol. II., pp. 373-387), collated with C.

<sup>2</sup> In diebus Paschalibus substituted in C.

<sup>3</sup> Erant in C.

<sup>4</sup> Serpentium in C.

<sup>5</sup> Bellatorum inserted in C.

A.D. 1191. confidebant, spem evadendi prorsus ademit, quorum  
 — mille trecentos rex Richardus in mari submergi præcepit, et ducentos vivos reservavit.

*Ut rex Richardus apud Achon applicuit, et de captione  
 ejusdem urbis.*

Rex Richardus, cum spolia navis omnia collegisset, prospero cursu ad portum Achon, quo tendebat, appropinquavit. Denique sexto idus Junii, rege portum intrante, lituorum stridor, ductilium clangor tubarum, strepitus cornicinum horribilis littora repleverunt, terra per circuitum resonabat; quod factum Christianos animavit ad pugnam et Saracenis obsessis terrorem incussit, magnum principem advenisse declarans. Tunc rex Richardus animi sui generositatem omnibus exponens famelico exercitui victualia<sup>1</sup> ministravit. His itaque ita gestis duo<sup>2</sup> reges militaribus catervis<sup>3</sup> ac populari stipati circa urbem petrarias et machinas alias locaverunt, qui cum lapidum ponderositate et usu assiduo diebus videlicet et noctibus muros civitatis attrivissent, in stuporem conversi sunt infideles, nullam<sup>4</sup> deinceps habentes fiduciam resistendi; qui communicato cum suis consilio, de pace tractare cœperunt, talibus initis pactionibus, quod Salaadinus pro redemptione eorum veram crucem, quam in bello ceperat, restitueret et captivos Christianos mille quingentos, quos eligere vellent, redderet et insuper septem millia bisantiorum ad pactionem præfatam augetet. Sic civitas cum armis et omnibus quæ in ea erant, salvis tantummodo corporibus Saracenorum, duobus regibus reddita est quarto idus Julii; veniente itaque die statuto quo Salaadinus debuerat implere pactum re-

<sup>1</sup> Largiter inserted in C.

<sup>2</sup> Hiis denique itaque gestis duo,  
 &c. in C.

<sup>3</sup> Wanting in C.

<sup>4</sup> Wanting in C.

gibus promissum nihil de eo quod promiserat adim- A.D. 1191.  
plevit. In tanti igitur ultionem excessus circa duo  
millia sexcenti Saracenorum capitis animadversione  
mulctati sunt; paucis de nobilioribus retentis, pro  
dispositione regum, vinculorum pondere coarctatis.

*Ut rex Francorum invidia ductus ad propria  
remeavit.*

Subjugata itaque civitate, rex Francorum ad propria redire disposuit, quasi toto negotio consummato; anxiebat enim supra modum, eo quod universa, quæ in exercitu Christianorum fiebant, regi Richardo adscribebantur. Prætendens igitur rex æris inopiam et paupertatem, dixit se ibi diutius immorari non posse; quod cum magnificus rex Anglorum Richardus, cui ardens inerat desiderium negotium Crucifixi promovere, cognovisset, promisit se regi Francorum communicurum omnium, quicquid in auro et argento, victualiumque congregatione, quicquid in equis, armis, navibus possedit, medietatem, ita videlicet ut inimicos Christi simul de terra sancta disperdere laborarent; sed quoniam idem rex reditum suum<sup>1</sup> immutabiliter ordinaverat, suis reclamantibus totoque Christianorum exercitu graviter consternato, cum paucis suorum repatriaturus naves ascendit. Suborta fuit enim<sup>2</sup> inter reges dissensio, eo quod rex Francorum urbem Achon, et reliquas quas capturi erant, tradere marchisio de Monte-Ferrato voluerat et regem eum constituere terræ sanctæ; habuit namque idem marchisius uxorem filiam<sup>3</sup> regis Almarici, sororem scilicet reginæ Hierusalem, quæ jam defuncta fuerat ut superius relatam est. Cujus voluntati rex Richardus prorsus obstitit, ostendens rationabiliter justius fore regi Guidoni, regno

<sup>1</sup> Wanting in C.

<sup>2</sup> Enim fuerat in C.

<sup>3</sup> Wanting in C.

A.D. 1191, jam pridem spoliato, regnum suum restituere, quam, illo vivente, alium subrogare; cum constaret illum non per ignaviam vel concordiam<sup>1</sup> amisisse, sed in gravi belli certamine, ob hostium numerositatem ac sui exercitus paucitatem, simul cum cruce a Saracenis captum fuisse. Hoc nimirum inter prædictos principes discordiæ seminarium dignoscitur exstitisse, cum tamen hæc discordia primo apud Messanam Siciliae civitatem inter eosdem pullulaverit. Richardo rege urbem eandem manu armata contra regem obtinente, et plurimos suorum prosternente, ob convitia et vexationes, quas exercitus regis Francorum suo exercitui inferebat. Cernens itaque, ut jam dixi, rex Francorum diversæ nationis homines, qui ad loca sancta confluerant, se sub potestate regis Richardi tradere, famamque probitatis ejus in dies excrescere, eo quod esset in thesauris locupletior, in donativis erogandis profusior, in exercitu numerosior, in hostium expugnatione ferocior, reputans pro alterius excellentiori gloria famam propriæ probitatis obfuscari, maturius naves conscendit. His autem omnibus illud accessit, quod comes Flandriæ jam obierat, cujus terram plurimum gestiebat. Igitur juratoria cautione præstita, ne terram regis Angliæ vel principum, qui cum eo remanebant, invaderet, recessit; rege autem recedente, rex Richardus fecit fossata Achon civitatis et murorum scissuras optime reparari, atque eam hominibus et armis egregie præmunivit.

*De progressu regis Richardi.*

Hiis ita gestis, gloriosus rex Richardus in vigilia assumptionis beatæ Mariæ ad obsidendum et expugnandum maritimas civitates de portis Achon primus cum suis commilitonibus<sup>2</sup> audacter progreditur, figi-

<sup>1</sup> Vel socordiam in C.

<sup>2</sup> The three preceding words wanting in C.

que tentoria jussit, spectante e<sup>1</sup> vicino exercitu Salaa- A.D. 1191.  
dini, ubi duo millia septingentos<sup>2</sup> Saracenorum dam-  
naverat sententia capitali ex hiis quos in Ptolomaida  
ceperant reges,<sup>3</sup> ut superius est relatam. Quod ubi  
Saracenis innotuit, qui urbes maritimas occupaverant,  
metuentes ne simili rabie in eos sicut in Ptolomai-  
denses debaccharet, diffidentesque de subventione Salaa-  
dini, qui pro redemptione cæterorum postulata nega-  
verat, relictis urbibus vacuis diffugerunt statim cum  
regis adventum audierunt; hoc idem<sup>4</sup> illi, qui in Cay-  
pha et in Cæsarea, in Assur et Jopen et Gaza et  
Aschaloniam habitabant, egerunt; sicque, Deo volente,  
actum est, ut omnis illa regio maritima versus plagam  
illam caperetur et capta a Christicolis inhabitaretur,  
licet non sine gravi certamine belli, cum exercitus  
Salaadini semper a latere exercitum Christianorum  
subsequeretur atque acies extremas in locis angustiori-  
bus graviter infestaret, unde et de utroque exercitu  
plurimi sæpius corruerunt. Munitis<sup>5</sup> igitur civitatibus  
jam dictis, rex magnificus Richardus Achon rediit cum  
triumpho.

Sed hæc quæ diximus clarius elucescent, si episto-  
lam regis, quam Waltero, Rothomagensi archiepiscopo,  
direxit pro eodem negotio, hic ponamus. "Richardus,  
" Dei gratia rex Angliæ, et cætera. Noveritis domino  
" rege<sup>6</sup> Francorum ad propria remeato, et, ruinis  
" scissurisque Achon civitatis reparatis, ad promoven-  
" dum Christianitatis negotium et prosequendum voti  
" nostri propositum apud Jopen iter arripuimus, et  
" nobiscum dux Burgundiæ cum Francigenis, comes  
" Henricus cum suis, et multi alii comites et barones.  
" Cumque inter Achon et Jopen plurimum esset spa-

<sup>1</sup> Spectari de in C.

<sup>2</sup> Sexcenti in C.

<sup>3</sup> Wanting in C.

<sup>4</sup> Wanting in C.

<sup>5</sup> Mutatis in C.

<sup>6</sup> Quod domino Rege in C.

A.D. 1191. " tium et tractus viarum prolixior, apud Cæsaream  
 " tandem cum multo sudore gravique labore nostrorum  
 " descendimus, et ipse Salaadinus in eodem itinere de  
 " suis quamplurimos amisit. Cum<sup>1</sup> populus Dei ibidem  
 " aliquantulum repausaret apud Jopen, sumus iter  
 " propositum prosecuti; et, nostra<sup>2</sup> custodia præeunte  
 " et castra apud Assuram metante, Salaadinus cum  
 " vehementi paganorum incursu super ultimam custo-  
 " diam nostram impetum faciens, divinæ miserationis  
 " gratia favente, a quatuor solummodo aciebus, quæ  
 " in fronte ei oppositæ erant, compulsus est in fugam,  
 " ipsumque fugientem per leucam unam sunt prose-  
 " cutæ, tantamque stragem de nobilioribus Saracenis  
 " illa die videlicet in vigilia beatæ Mariæ, prope As-  
 " suram fecerunt, quantam Salaadinus sexaginta<sup>3</sup> annis  
 " transactis non sustinuit una die. Deinde Jopen,  
 " Deo ducente, pervenientes villam fossatis et muris  
 " firmavimus; in proposito habentes, ubicumque pote-  
 " rimus attingere,<sup>4</sup> Christianitatis negotium pro posse  
 " nostro promovere. Post diem vero prædictæ confu-  
 " sionis non est ausus Salaadinus cum Christianis  
 " cominus congregari, sed ad trucidandos crucis amicos,  
 " sicut oves occisionis, insidiatur occulte quasi leo in  
 " spelunca sua. Audito autem quod nos ad Ascalon  
 " maturo gressu tenderemus, ipsam evertit et ad terram  
 " funditus prostravit, totamque Syriam, quasi totius  
 " consilii et auxilii beneficio destitutus, jam deserit  
 " et contemnit; unde bonæ spei sumimus argumen-  
 " tum, quod in brevi, Domino annuente, plenius recu-  
 " perabitur hæreditas Domini. Valet, valet."

<sup>1</sup> Cumque in C.

<sup>2</sup> Anteriore inserted in C.

<sup>3</sup> Quadraginta in C.

<sup>4</sup> Poterimus attingere wanting in C.



*Ut rex Richardus Henrico nepoti suo regnum  
Hierusalem dederit.*

Reverso igitur, ut prædictum est, apud Ptolomaidam A.D. 1191. rege Richardo, dedit Henrico nepoti suo regnum Hierosolymitanum cum uxore marchisii de Monte-Ferrario, utpote hærede totius regni, sorore ejus regina Hierusalem jam defuncta. Hoc idem<sup>1</sup> libenter annuit Guido de Lezinant, olim rex ejusdem regni; pro stabilitate pacis collata sibi insula Cypri, quam a rege insule ejusdem nuper guerra rex Anglorum obtinuerat, ejus homagio inde recepto. Marchisius autem nuper ab Assisinis Asarcidis<sup>2</sup> interfectus est apud Tyrum; unde regnum Hierosolymitanum uxori suæ, ut jam dictum est, jure hæreditario debebatur.

*Quomodo rex Richardus omnes terræ sanctæ reliquias  
redemit.*

Guidone, rege Hierosolymarum,<sup>3</sup> in bello cum cruce Dominica olim capto, mox Salaadinus urbem Hierusalem obsidione vallavit. Cives vero, qui in ea remanserant, ex infortunio animo consternati, seque Salaadino posse resistere desperantes, urbem ei protinus tradiderunt; at ipse neminem ex urbe egredi permisit, nisi se prius quilibet decem bisantiis redemisset. Divitibus autem se continuo redimentibus, inventa sunt septem millia hominum in urbe, qui unde se redimerent non habebant; quorum calamitati cæteri compatientes unanimi consilio acceperunt cruces aureas et argenteas, calices et philaterna,<sup>4</sup> et Dominicum decrustaverunt sepulchrum, ac cætera quæ in

<sup>1</sup> Hoc ipsum in C.

<sup>2</sup> Arsacidis in C.

<sup>3</sup> Solymorum in C.

<sup>4</sup> Philactaria in C.

A.D. 1191. ecclesiis<sup>1</sup> ornamenta reperiabantur, et pauperes redemerunt. Collegerunt etiam omnes reliquias sanctorum, quas in locis sacrosanctis poterant invenire, et posuerunt eas in quatuor magnis eburneis capsellis; quas Salaadinus inter cætera, quæ civitate subacta occupaverat, intuens, et, quid in eis contineretur, diligenter inquirens, jussit deferri apud Baldach et tradere Chaliphe, ne Christiani de ossibus mortuorum<sup>2</sup> gloriantur ulterius, et crederent eos<sup>3</sup> habere intercessores in cælis, quorum ossa venerabantur in terris. Princeps autem Antiochenus et patriarcha cæterique fideles, tanto thesauro nullo modo defraudari volentes, promiserunt sub juramento, se easdem reliquias redempturos quinquaginta duobus millibus bisantium, et, si pecuniam præfatam tempore constituto persolvere nequissent, easdem ei reliquias<sup>4</sup> resignarent; unde factum est, ut princeps Antiochenus prædictas reliquias secum tolleret sigillatas, et idcirco cuncti fideles Christianitatis magno dolore et animi mœrore consternati sunt, quia terminus a Salaadino præfixus jam instabat, princepsque præfatus reliquias sanctas secum detulerat, ut eidem, sicut eas receperat, redderet sigillatas; quod gloriosus rex Anglorum Richardus, cum esset apud Furbie, intelligens, et rem gestam ex ordine recognoscens, mox pecuniam prænominatam pro sanctis reliquiis Salaadino persolvit et sanctorum pignora devotus retinuit, quatenus sancti Dei, quorum ossa de manibus impiorum redemit in terris, ipsi suis intercessionibus animæ ejus subvenirent in cælis. Quolibet autem capsella tantæ capacitatis, tantæque erat ponderositatis, ut vix a quatuor viris diutius portaretur.

<sup>1</sup> Erant inserted in C.

<sup>2</sup> Mortuorum suorum in C.

<sup>3</sup> Crederent se in C.

<sup>4</sup> The preceding sixteen words wanting in C.

*Inventio Arthuri, regis Britonum famosissimi.*

Eodem anno inventa sunt apud Glastoniam ossa A.D. 1191.  
famosissimi regis Britanniae Arthuri in quodam vetus-  
tissimo recondita sarcophago, circa quod duæ antiquis-  
simæ pyramides stabant erectæ, in quibus literæ erant  
exaratæ, sed ob nimiam barbariem et deformitatem  
legi minime potuerunt. Inventa sunt autem hac  
occasione; dum enim ibidem effoderent, ut monachum  
quendam sepelirent, qui hunc locum sepulturæ vehe-  
menti desiderio in vita sua præoptaverat, quoddam  
reperiunt sarcophagum, cui crux plumbea superposita  
fuerat, in qua exaratum erat, "Hic jacet inclytus  
" Britonum rex Arthurus, in insula Avalonis sepultus."  
Locus autem ille paludibus undique inclusus olim  
insula Avalonis, id est pomorum insula, est vocatus.

Eodem anno Robertus, Lincolnensis canonicus et  
Willelmi Normanniæ senescalli filius, Cantuariæ con-  
secratus est Wigorniensis episcopus a Willelmo apos-  
tolicæ sedis legato.

*Quod rex Richardus cancellarium habuit suspectum.*

Circa dies istos pervenit ad aures Regis Richardi  
quod cancellarius in elationem devectus regni negotia  
solus ordinare presumpsit. Hac autem ratione induc-  
tus literas ad magnates Angliæ in hæc verba direxit.  
" Rex Anglorum Richardus Willelmo Marescallo, G.  
" filio Petri, H. Bardolf, et W. Briwere, apparibus,  
" salutem. Si forte cancellarius noster, negotia regni  
" nostri<sup>1</sup> juxta concilium nostrum et aliorum quibus  
" regni nostri curam comisimus fideliter non tracta-  
" verit, præcipimus, ut secundum dispositionem ves-

---

<sup>1</sup> Negotia regni nostri wanting in C.

A.D. 1191. " tram de omnibus agendis regni, tam de eschaetis  
 " quam de castellis, disponatis. Valete."

Per idem tempus Walterus, Rothomagensis archiepiscopus, in Angliam veniens literas regis tulit ista continentes: " Richardus, Dei gratia rex Anglorum, " Willelmo Marescallo et aliis Angliæ<sup>1</sup> apparibus salutem. Sciatis quod nos venerabilem patrem nostrum Walterum, Rothomagensem archiepiscopum, " diligimus et de eo ad plenum confidimus quem de " peregrinatione sua de consensu summi pontificis " revocatum propter defensionem et consilium regni " nostri ad vos duximus transmittendum; unde vobis " mandamus et firmiter præcipimus quatenus in procurandis negotiis nostris ejus consilio omnia operemini, volentes et præcipientes quod, quamdiu in " peregrinatione erimus, ipse cum consilio vestro, et " vos cum suo, omnia disponatis."

*De turpissima cancellarii dejectione.*

Eodem tempore, ad instantiam comitis Johannis, scilicet fratris regis Angliæ, convenerunt apud pontem de Loedone<sup>2</sup> inter Radingum et Windleshores, die sabbati proxima post festum sancti Michaelis, ad colloquium magnates Angliæ, de magnis et arduis regis et regni negotiis tractaturi. In crastino autem, tam archiepiscopus Rothomagensis, quam Eboracensis et episcopi omnes, qui apud Radingum convenerant ut colloquio interessent, omnes illos, qui consilium vel auxilium aut mandatum dederant ut archiepiscopus Eboracensis ab ecclesia extraheretur, indigne tractaretur, in carcerem truderetur, terribiliter candelis accensis excommunicaverunt, et nominatim Albertum de Marines et Alexandrum Puintel. Deinde die Lunæ

<sup>1</sup> The five preceding words wanting in C.

<sup>2</sup> Lodone in C.

proxima comes præfatus, quia cancellarius ejus impe- A.D. 1191.  
 tum metuebat, ad omnem suspicionem tollendam, in  
 loco tutissimo prope castellum de Windleshores. sicut  
 idem cancellarius petierat, ad colloquium venire pro-  
 posuit, facta ei prius securitate per manum episcopi  
 Londoniensis; sed cancellarius, hac securitate non  
 contentus, confestim fugiens intra turrim Londonia-  
 rum sese<sup>1</sup> recepit. Audiens autem comes quod fuge-  
 rat cancellarius, venit et ipse Londonias; sed, cum  
 ingredi vellet civitatem, obvios habuit plures de  
 familia cancellarii milites armatos, qui gladiis exertis  
 ipsum et suos acriter invadentes Rogerum de Planes,  
 virum nobilem, peremerunt. Sequenti vero die Mar-  
 tis idem comes cum archiepiscopis, episcopis, comiti-  
 bus et baronibus in capitulo sancti Pauli convene-  
 runt,<sup>2</sup> ac, præsentem cancellario, post longos tractatus<sup>3</sup>  
 Richardo regi fidelitatem juraverunt; in primis comes  
 Johannes, ac deinde duo archiepiscopi et omnes epi-  
 scopi, et quotquot convenerant comites et barones.  
 Deinde die Jovis proxima habitum est colloquium ab  
 orientali parte Londoniensis turris præsentibus magna-  
 tibus præfatis, ubi assensu communium definitum est,  
 ut talis de cætero in regno Angliæ non dominaretur,  
 per quem ecclesia Dei ad ignominiam et populus ad  
 inopiam trahebatur; ipse enim cancellarius<sup>4</sup> et satel-  
 lites ejus omnes regni divitias ita exhausserant, ut nec  
 viro baltheum argento redimitum, nec femine mo-  
 nile, nec viro<sup>5</sup> nobili annulum, vel Judæo relinque-  
 rent thesaurum vel quidlibet pretiosi; thesaurum  
 quoque domini regis adeo evacuaverant, ut in scriniis  
 ipsius aut clitelis nihil præter vasa vacua et claves<sup>6</sup>  
 possent de elapso biennio inveniri. Provisum est  
 etiam, ut omnia castella, quæ pro libitu suo idem

<sup>1</sup> The four preceding words  
wanting in C.

<sup>2</sup> Comparuit in C.

<sup>3</sup> Omnes inserted in C.

<sup>4</sup> Wanting in C.

<sup>5</sup> The eight preceding words  
wanting in C.

<sup>6</sup> Claves et vasa vacua in C.

A.D. 1191. cancellarius custodiæ satellitum suorum commiserat, redderentur, et in primis ipsa turris Londoniensis; hæc autem omnia cancellarius se facturum juravit. Hiis ita gestis, die Jovis proxima sequente cum omni supellectile sua turrim egrediens apud Bermundeseiam Thamense<sup>1</sup> fluvium transivit; dati sunt in obsidatum Henricus et Osbertus, fratres ejus, quousque castella redderentur, nam et ipse juravit quod ante castrorum redditionem non exiret a regno. Deinde Cantuariam veniens et crucem<sup>2</sup> peregrinationis suscipiens, crucem legationis deposuit, quam per annum et dimidium post mortem papæ Clementis portaverat in præjudicium tam Romanæ quam ecclesiæ Anglicanæ; quo facto, Doveriam perrexit habens in comitatu Gilebertum, Roffensem episcopum, et vicecomitem Cantia Henricum de Cornhelle, ubi latenter excæcare nautarum oculos se posse existimans novum fraudis genus invenit, virum in fœminam convertit, dum vestem sacerdotis in meretricis habitum commutavit. Tunica viridi fœminea indutus, capam habens ejusdem coloris, peplum in capite muliebri portans, pannum lineum quasi ad vendendum gerens ad mare descendit. Talibus deformatus antistes, cum sederet in litore super petram auram expectans feliciorum, nauta quidam cum muliere ludere volens in fœmina stupens braccas invenit, et vociferare incipiens dixit, "Venite omnes, venite," inquit, "et virum in fœmina mecum admiramini." Accurrunt mulierculæ multæ et pretium panni quem ferebat venalem solerter inquirunt; cumque nihil responderet, ut qui Anglicanam non noverat linguam, cœperunt inter se confabulari, et dolum suspicantes manus injecerunt in peplum, quo fauces tegebantur, et, summittentes a naso usque deorsum, faciem hominis viderunt nigram et nuper rasam. Clamorem utique ad sidera tollentes ad invi-

---

<sup>1</sup> Thamiense in C.

| <sup>2</sup> Sanctæ inserted in C.

cem, "Venite," inquit, "et lapidemus hoc monstrum, A.D. 1191. "quod sexum utrumque deformavit;" et factus est illico concursus virorum ac mulierum, extrahentium de capite pepulum et trahentium eum prostratum<sup>1</sup> per manicas et capicium, per arenam et saxa, non sine pontificis læsione. Servientes ejus tandem occurrunt, ut dominum liberarent, sed non potuerunt; nam populus cum insatiabili corde illum persequens, verbis, alapis et sputis dehonestatum, per plateas distractum in quodam cellario tenebroso sub carcerali custodia includunt. Sic utique factus est in derisum omni populo, qui utinam se solum et non sacerdotium inquinasset, tractus est qui archiepiscopum Eboracensem traxerat, captus qui ceperat, ligatus qui ligaverat, incarceratus qui incarceraverat, ut secundum quantitatem culpæ quantitas poenæ commensurabilis haberetur. Tandem, spretis obsidibus atque juramento quod fecerat, se non recessurum a regno<sup>2</sup> Angliæ antequam castella redderentur, idem cancellarius quarto kalendas Novembris in Normanniam transfretavit.

*Nota rem inauditam.*

Eodem anno juvenis quidam de domo episcopi Londoniarum nisum, quem habuit, docuit cercellas propensius affectare; itaque ad sonitum illius instrumenti, quod a ripatoribus thabur nominatur, subito cercella quædam<sup>3</sup> alarum perniciousiter remigio evolavit. Nisus autem illusus lupum quendam et lucium in undis natantem interceptit, invasit et arripuit, et super aridam per spatium, sicut videbatur, quadraginta pedum sese cum nova præda recepit. Episcopus autem insoliti casus novitate stupefactus nisum et lupum, futuris seculis memorabilem, undecimo kalendas Novembris Johanni comiti transmisit.

<sup>1</sup> Ignominiose inserted in C.

<sup>2</sup> A regno wanting in C.

<sup>3</sup> Quendam in C.

*De morte Reginaldi, Cantuariensis electi.*

A.D. 1192. Anno Dominicæ incarnationis M<sup>C</sup>X<sup>CII</sup>. Reginaldus, Bathoniensis episcopus, a monachis Cantuariensibus in archiepiscopum electus, decursis a die denominationis ejus viginti novem diebus, nativitatis Domini die diem clausit extremum; sepultus est autem Bathoniæ in ecclesia sua prope majus altare.

*Ut rex Francorum de peregrinatione Parisius venerit.*

Per idem tempus rex Francorum a Hierosolymis rediens sexto kalendas Januarii Parisius solemnii processione receptus est.

*Quomodo rex Richardus Darum cepit.*

Eodem anno post Paschalem solemnitatem rex Richardus Darum adiit, castellum Christianitatis ultimum versus Babyloniam; quod diebus quinque obsessus armata manu cepit, atque obsessos gravi pretio redemptionis abire permisit.

*Ut rex Richardus septem millia camelos opibus onustos cepit.*

Post hanc victoriam venit ad regem Anglorum dux Burgundiæ cum exercitu Francorum cui in præcedenti solemnitate Paschali rex Richardus triginta millia bisanteriorum dederat ut esset cum eo ad expugnandum inimicos Christi, et consilio inter eos habito statuerunt Hierosolymam adire. Cumque rex Richardus cum universo exercitu suo pervenisset ad Castrum-Ernaldi et Bethonople juxta Emaus, ecce Bedewini, qui se regi Anglorum obligaverant, nuntiant maximam multitudinem negotiatorum ex Babylonia versus Hierosolymam tendere cum septem millibus camelorum diversis opibus onustis, et hanc numerositatem viri quique



strenuissimi Salaadini exercitus conducebant; quibus A.D. 1192. cum rex obviam processisset cum paucis armatis, juxta Rubeam-cisternam omnes prostravit, camelosque cum opibus universis diripiens exercitui suo cum magna liberalitate distribuit, deinde ad præfatum castellum regrediens præsidium armatorum in singulis civitatibus collocavit.

*Quomodo impedita sit obsidia Sanctæ Civitatis per invidiam.*

Rex autem Richardus cum præda universa ad Castellum-Ernaldi reversus, quod ab Hierusalem tribus tantum distat milliariis, singulos potentes diligenter adhortatur, ut Hierosolymam adeant et obsideant; dum tanta rerum omnium copia, victualium scilicet et animalium ad subvehenda onera, eis suppetit, memorantes quanta beneficia illis,<sup>1</sup> in sua peregrinatione clementia divina contulerit. Præterea non mediocriter regem animabat mulier quædam religiosa, genere Syra; in civitate Hierosolymitana degens, quæ regi omnia civitatis secreta mandaverat, qualiterque omnes Saraceni timidi effecti sint contra ejus adventum et animo consternati et quomodo omnes civitatis portæ terratæ<sup>2</sup> erant præter portam sancti Stephani ad partem urbis, æquilonalem, contra quam exercitum suum collocare suadebat, mittens quandam regi clavem, cum qua valvas posset reserare. Cumque<sup>3</sup> universi Hierusalem obsidere decrevissent, dux Burgundiæ cum fratribus Templi et cum Francigenis consilium iniens a proposito revocatus est, qui asserebant ducem cum omnibus Francigenis maximam domini sui regis Francorum offensam incursum, si per eorum subventionem de

<sup>1</sup> Ubique inserted in C.

<sup>2</sup> Terrare in C.

U 23058.

<sup>3</sup> Jam inserted in C.

A D. 1192. tanta et tam famosa civitate rex Richardus triumphasset, nec aliqua laudis victoria ipsi duci vel Francigenis adscriberetur, si ab eis tanta civitas caperetur.

*Quomodo dux Burgundiae donariis Salaadini corruptus a terra sancta recesserit.*

Nuntii interim a duce ad Salaadinum diriguntur, sed, quid egerint, acta et quæ sequebantur opera ostendebant; nam nocte quadam, rege Anglorum apud castrum præfatum commorante et duce cum suis apud Bethonoble existente, explorator regis, Jumaus nomine, audivit sonitum gradientium camelorum et hominum de monte descendentium, quos latenter subsecutus comperit eos a Salaadino missos usque ad castra ducis cum quinque camelis auro et argento et opibus onustis, pannisque sericis et aliis donariis multis. Explorator autem ad regem concito gressu regrediens hæc illi omnia nuntiavit, accipiensque<sup>1</sup> quosdam de familia regis ad viam per quam nuntii illi reversuri erant caute insidiando progreditur; ac revertentes nuntios comprehendit, comprehensos regi præsentavit, quorum unum rex in arcto ponens et diutius torquens<sup>2</sup> omnia, quæ duci Salaadinus transmiserat vel mandaverat, invitus confitetur. Amotis autem nuntiis ac aurora illucescente, fecit rex accersiri ducem et patriarcham atque priorem de Bethleem; quibus in loco secreto adunatis, protinus in eorum præsentia super sanctas reliquias juravit, se paratum existere cum exercitu suo adire et Hierosolymam expugnare ac civitatem Baruch, sine qua rex Hierosolymitanus coronari non potest, sicut inter eos jam facere decreverant et juramento fuerat confirmatum. Cumque rex jurasset, hortatur ut dux simile juramentum præstaret; quo abnuente, confestim rex nimio furore succensus tra-

<sup>1</sup> Secum inserted in C.

| <sup>2</sup> Tortus in C.

ditorem eum appellat, exprobrando ei varia munera A.D. 1192. quæ a Salaadino susceperat, et de occultis nuntiis, quos ad invicem miserant, et mandatis. Duce autem hæc omnia abnuente et defendente, præcepit rex ut nuntii illi, quos in via explorator ceperat, in eorum præsentiam ducerentur; cumque introducti fuissent et omnia illis secreta denudassent, præcepit rex servis suis, ut in conspectu totius exercitus sagittarent eos, utroque exercitu causam tantæ crudelitatis ignorante, aut quid egissent viri illi vel unde venissent. Dux autem proditor deprehensus, nimioque pudore confusus et furore succensus, cum exercitu Francorum quanto-cius iter versus Achon arripuit; sed hoc cernens rex Richardus custodibus civitatis mandavit, ut neminem eorum intrare permitterent; at illi tentoria sua extra urbem posuerunt.

*De quodam heremita, qui regi Richardo prædixit  
Hierusalem non esse subjugandam.*

Duce igitur in hunc modum regresso, venit nocte sequenti religiosus quidam ad regem, et mandatum cujusdam sancti heremitæ ad eum detulit, qui regi significavit ut ad eum visendum properaret. Rex autem de nocte consurgens, assumptis secum sociis quingentis, ad virum Dei pervenit; hic vero per longum tempus apud sanctum Samuelem in monte manserat, qui et spiritu prophetiæ pollebat; hic a die illa, quo crux Dominica capta est et terra amissa est,<sup>1</sup> nihil nisi herbas comederat et radices, nec ullo utebatur tegumento, capillis tantummodo operiebatur barbaque proluxa; quem rex diutius admirando intuens sciscitabatur quid vellet. Ille vero de regis adventu gavisus ipsum in oratorium suum adduxit, eruensque

---

<sup>1</sup> Wanting in C.

A.D. 1192. de muro lapidem quendam, crucem ligneam et cubitalem extraxit de muro et regi devote porrexit, affirmans procul dubio hanc crucem de ligno Domini fuisse. Regi etiam inter alia dixit, quod nequaquam hac vice terram illam obtineret, quamvis strenuissime ubique egisset, et, ut rex certius dictis ejus fidem accommodaret, asserebat seipsum ab hoc seculo die septima migraturum; quem rex secum ad castra perduxit, ut dictorum ejus comprobaret eventum, qui, sicut prædixerat, die septima ab hac luce migravit.

*De morte turpissima ducis Burgundiæ.*

Hiis ita gestis, die sequenti castra movit, ac ducem secutus extra urbem Achon prope ducem tentoria fixit, ubi, cum fesso exercitu vix per triduum quievisset, adsunt flebiles nuntii a Joppe usque ad regem directi, nuntiantes Salaadinum cum universo exercitu suo Jopen obsidisse, civitatemque celeriter fore capiendam, omnesque milites et servientes, quos ob custodiam ibi collocaverat, trucidandos, nisi<sup>1</sup> celeri subventione præsidium ferat obsessis; quo audito, omnis Christianorum exercitus valde perterritus est, graviter ingemiscens. Rex autem Richardus, cum aliis animo consternatus, ducem Burgundiæ offensum, tum per se, tum per alios, ad concordiam et pacem revocare studuit, obnixius rogans ut tantæ calamitati aliquid ferat subsidium; quorum preces dux audire dedignans, eorumque postulatione inquietari nolens, nocte illa cum suis versus Tyrum iter arripuit; quo dum pervenisset, confestim divino terribiliter percussus judicio menteque alienatus morte miserabili vitam terminavit.

---

<sup>1</sup> *Nisi.*] At this point the text of D. is resumed.

*Ut rex Richardus Salaadinum ab obsidione Jopen  
fugaverit.*

Rex vero<sup>1</sup> Richardus, post mortem ducis turpissimam, cum paucis comitatu naves rostratas ocius advolator conscendens obsessis apud Jopen subvenire maturavit, sed naves vi ventorum ac sævitia fluctuum in contrarium retortæ versus Cyprum diutius impelluntur; quod videntes, qui apud Achon remanserant, ipsum repatriare suspicantur. Rex vero et qui cum illo erant, contra rabiem ventorum remigio violento æquora ex obliquo sulcantes, cum tribus tantum navibus tertia die, aurora jam rutilante, in portu Jopen appulerunt. Salaadinus interim crebris assultibus urbem jam ceperat, atque omnes infirmos ac vulneratos, qui ibidem præ lassitudine substiterant, milites peremerat; et audaciores quinque, quos rex ibidem ob civitatis custodiam posuerat, urbem deserentes in castellum sese receperunt, ac inter se de reddendo castello tractaverunt, antequam violenter per assaultum caperentur; quod et celeriter fecissent, nisi a patriarcha, qui inter utrumque exercitum libere progrediebatur, præmunirentur, exercitum Salaadini devovisse omnes fore occidendos, ob vindictam amicorum et parentum suorum, quos rex Anglorum pluribus jam in locis immisericorditer detruncaverat, etsi liberam a Salaadino abeundi licentiam accepissent. Ob hoc in magno mortis discrimine constituti, quid agerent hæsitabant, hostium numerositatem ac ferocitatem, suorumque paucitatem, necnon et de subventionem regis diffidentes; sed, cum regem appulisse cognoverunt, audaciores animæquiores<sup>2</sup> effecti sese viriliter defendebant. Rex autem, ex gravi conflictu obsidentium pariter et obsessorum sciens castellum civitatis nondum fuisse captum, protinus cum suis de navi armatus agili saltu

<sup>1</sup> Autem in C.

| <sup>2</sup> Wanting in C.

A.D. 1192 prosilivit, atque inter medias hostium catervas, velut leo furibundus a dextris et a sinistris prosternens, se audacter ingessit; cujus subitaneum impetum Turci non ferentes, reputantes et illum numerosiorem adduxisse exercitum, ab obsidione concito gradu diffugiunt, mutuo se ad fugam cohortantes et adventum invicti regis inopinatam ad invicem nuntiantes; unde factum est quod a fuga cohiberi non poterant donec ingrederentur Ramulam civitatem, Salaadino in curru suo cursu rapido præcurrente. Rex autem, hostibus fugatis, audacter tentoria figi præcepit extra urbem in quadam planitie, ad inopinatam lætitiâ obsessorum.

*Ut rex Richardus cum paucis sexaginta<sup>1</sup> duo millia paganos ad Jopen interfecerit.<sup>2</sup>*

Sequenti vero die nuntiatum est Salaadino regem cum paucissimo advenisse exercitu, nec amplius quam octoginta milites, exceptis balistariis suis quadringentis, in comitatu habere; nimio furore succenditur, multaque indignatione erga exercitum suum promovetur, quod tot millia hominum a tam paucis fugari debuissent; unde ad suorum confusionem<sup>3</sup> ibidem exercitum dinumerans, sexaginta duo millia imperiali edicto præcepit, ut ad Jopen quantocius redirent, ipsumque regem vivum sibi captum in crastino præsentarent. Rege autem in tentoriis nocte illa cum suis quiescente nihilque sinistrum suspicante, ecce summo diluculo tota gens nefaria adveniens castra regis in circuitu vallavit, et, ne ullus subterfugendi in civitatem patret aditus, maxima multitudo sese intra urbem et regis tentoria opposuit; ex quorum rex magnificus strepitu et clamoribus omnesque simul Christiani expergefati et attoniti nimia admiratione concutiuntur,

<sup>1</sup> Quadraginta in D.

<sup>2</sup> Interierit in D.

<sup>3</sup> Confessionem in D.

cum se undique cernunt ab inimicis Christi præclusos. A.D. 1192. Rex autem subitum et inopinatum cernens periculum lorica confestim induit ac velut pennigero volatu equum conscendit, omnique<sup>1</sup> mortis horrore deposito, et quasi ex hostium numerositate factus audacior, suos ad pugnam verbis exhortatoriis animabat; nec mora, ipse cum undecim equitibus, qui soli ex omnibus equos habebant, in hostiles acies prorupit intrepidus, ensem ocuis de vagina extraxit, lanceam vibrat atque circa galeata capita ictuum collisione tinniendo fulminat, equosque Arabicos propriis sessoribus evacuans militibus suis, qui pedites erant, largiter erogavit; quos illi agili saltu ascendentes, rege semper prævio, hostium catervas a dextris et a sinistris prosternendo dissipant et sibi quosque obvios immisericorditer trucidant. Pagani vero corruentes miserandis clamoribus mugiunt, animasque cum sanguine ad Tartara remittunt. Præibant semper balistarii in hac congressione potissimum laudandi, quorum incomparabili virtute hostilis præcipue repellebatur impetus, audacia atque ferocitas paulatim sternebatur; nam dum eorum spicula sibi quisque cautius præcavebat, assilientis<sup>2</sup> hostis congressionem incircumspectius poterat evitare. In hoc autem belli certamine quantum virtus regis enituerit, quantumque suorum probitas claruerit, quotque hostium millia de prælio fugaverit, incredibile relatu videtur, nisi virtus divina attendatur. Quis enim unquam crederet octoginta milites contra sexaginta duo millia fere per totum diei spatium ita insuperabiliter potuisse congredi, tot missilium ictibus impeti tot jaculis lanceari, ut non solum illæsi evaderent, sed nec a prima statione sua per unius pedis spatium retrocederent, quin et adversarios undique profigerent lætamque et inopinatam victoriam, fugatis hostibus, reportarent, nisi divina virtute subnixi crederentur

---

<sup>1</sup> Omnibusque in C.

| <sup>2</sup> Assilientes in D.; assilientis in C.

A.D. 1192. cælestique protectione suffulti? Denique illi, qui in urbe Jopen ob custodiam remanserant, regis suorumque fortitudinem invincibilem attendentes de urbe audacter prorumpunt et hostes a tergo invadunt quorum subita invasione, regisque ac suorum indefessa congressione hostes compulsi cum magna sui confusione suorumque amissione fugiendo terga dederunt et in antris delitauerunt et cavernis.

*Ut exercitus Christianorum adcinctus sit ad succursum regis Richardi.*

Interea nuntiatur exercitui, quem apud Ptolomaidam rex reliquerat, apud Jopen regem ab inimicis undique vallatum, et, nisi celerius ei subveniatur, in periculo esse constitutum; unde timor et mœror omnes invasit, ita ut fugam meditarentur universi. Convenerunt tamen viri strenuissimi exercitus simul colloquentes, si forte regi aliquod subsidium possent ereptionis conferre. Cæsaream itaque unanimiter proficiscuntur, præ timore hostium ulterius progredi non audentes; sed, cum eis ibidem inopinata regis victoria nuntiaretur, immensa perfusi lætitia ereptori omnium Deo præconia exsolvebant. Facta est autem hæc belli congressio in festo sancti Petri quod ad vincula nuncupatur.

*Ut rex Richardus repatriandi consilium habuit.*

Post hanc regis victoriam inauditam, cum idem rex apud Jopen per septem hebdomadas moraretur, quidam morbus pestifer ex aeris corruptione proveniens ipsum regem et omnes fere suos perniciose invasit; et quotquot ex hac morbi contagione percussi sunt citius interierunt, excepto rege, Domino illi sospitatem conferente. Cernens itaque rex thesaurum suum, quem larga nimis manu et inconsulte militibus distri-



buerat, paulatim deficere, exercitumque Francorum et aliorum, quem multis sumptibus datis jam per annum conduxerat secumque retinuerat, mortuo duce Burgundiae, velle ab eo recedere, necnou et proprium exercitum pestifera aegritudine atque hostili congressione minorari, hostilem quoque numerum indies augmentari, fratrum Templi et Hospitalis ac principum, qui cum eo erant, consilio ad horam repatriare disposuit, ut iterum numero multiplicato et militum et pecuniarum fortius et instructius ad sanctam civitatem obsidendam regrederetur, juratoria super hoc praestita cautione. His autem omnibus potissimum illud praevalet, quod intimabatur ei quod comes Johannes frater ejus, quem in Anglia reliquerat, moliebatur Angliam subjungere; quod se velle facere, rei postmodum comprobavit eventus. Et, quia tanti principis tantique exercitus discessio absque ibidem remanentium gravi periculo terraeque subjugatae dispendio fieri non potuit, treugae inter Christianos et paganos, utriusque exercitus petitione, et consilio, sunt constitutae, a Pascha videlicet subsequenti usque ad terminum trium annorum.

*Quod rex Richardus de peregrinatione redierit.*

Tempore igitur autumnali, navibus praeparatis omnibusque rite dispositis, rex Richardus et regina sua, cum regina Siciliae sorore sua Johanna, caeterisque proceribus suis, mare Mediterraneum transierunt. Quibus mare sulcantibus illico subortae sunt insolitae tempestates, [et] in terram applicantibus illatae persecutiones; nonnulli naufragium sunt perpassi; quidam in littore, navibus con fractis, vix nudi, amissis opibus, evaserunt; pauci vero ad destinatum salutis portum appulerunt. Qui autem maris evaserant periculum, hostiles acies contra eos in terra ubique consurgere repererunt, a quibus immisericorditer capiuntur, spoliantur, et nonnulli gravi redemptionis debito affliguntur; nullus

A.D. 1192. subterfugiendi erat locus, quasi tellus et mare contra fugitivos crucis conspirassent; unde satis manifestum est ipsorum recessum nequaquam Deo fore acceptum, nondum expleta peregrinatione, qui ipsos post modicum tempus in terra illa magnificare decreverat, omnes inimicos eis subjiciendo et terram, pro qua tam laboriosam peregrinationem assumpserant, contribuendo; nam, illis sic abeuntibus, in sequenti Quadragesima Christianitatis terræque sanctæ invasor Salaadinus vitam flagitiosam morte miserabili terminavit, qui, si tunc præsentibus fuissent, facillime terram sanctam obtinuissent, filiis ejusdem Salaadini ac propinquis inter se dissidentibus et decertantibus pro regno paterno.

*Quod idem rex a multis inimicorum suorum insidiis evaserit.*

Rex Richardus cum nonnullis suorum nimia maris tempestate vexatus per sex septimanas, cum devenisset versus Barbariam trium velificatione dierum a Marsilia distans, et fama crebrescente jam cognovisset comitem sancti Ægidii, necnon et cunctos principes, per quos transiturus erat, contra eum unanimiter conspirasse, seque ei ubique insidias tetendisse, disposuit per Theutonicam latenter repatriare; velisque retortis cum paucis suorum, Baldewino videlicet de Betun, et magistro Philippo clerico suo, Anselmoque capellano ejus, cum quibusdam fratribus Templi, in partibus Slavoniæ<sup>1</sup> ad villam quandam nomine Gazaram appulerunt, qui statim nuntium ad proximum dirigentes castellum pacem et conductum a domino provinciæ illius, qui nepos exstitit marchisii, postularunt. Rex autem in reditu suo tres lapides pretiosos, carbunculos scilicet, quos vulgo "rubiz" appellant, a quodam Pisano bizantiis comparaverat nongentis; quorum

---

<sup>1</sup> Scaloniz in D.

unum, dum esset in navi, ipse annulo aureo includens, A.D. 1192. illum domino castelli per dictum nuntium transmisit. Percunctatus vero nuntius a domino loci, quinam essent qui conductum petebant, respondit, peregrinos esse ab Hierosolyma redeuntes. Deinde nomina eorum inquirens a nuntio, respondit, "Unus eorum Baldwinus de Betun appellatur, alter vero Hugo mercator, qui et vobis annulum transmisit." At dominus ille diutius annulum intuitus, "Non," inquit, "Hugo, sed rex Richardus appellatur;" et adjecit, "Licet ipse juraverim me omnes peregrinos de partibus illis venientes comprehensurum, nec munus aliquod ab eis accepturum, tamen, pro dignitate muneris et mitentis, illi, qui me ignotum ita honoravit, et munusculum remitto et liberam abeundi licentiam concedo." Reversus itaque nuntius omnia hæc regi intimavit. At illi valde trementes, media nocte, equis comparatis, de villa prædicta occulte exierunt et per terram illam diutius libere processerunt; sed dominus ille latenter post eos ad fratrem suum exploratorem transmisit, ut regem in terram suam comprehenderet venientem. Ubi cum rex advenisset, et urbem, in qua frater domini prædicti morabatur, ingressus fuisset, confestim ille, accersito ad se quodam homine suo fidissimo, Rogero nomine, Normannico genere, de Argentonio, qui cum eo per annos viginti exstiterat et neptem suam ei maritaverat, præcepit, ut domos, ubi peregrini hospitarentur, diligenter perscrutaretur, si forte regem per loquelam vel aliquod signum explorare posset, promittens se ei medietatem urbis daturum, si regem intercipere potuisset. Quo singulorum hospitia peregrinorum inquirente, tandem regem reperit; sed eo diutius dissimulante quod ipse erat, demum [importunitate] precum et lachrymarum pii inquisitoris compulsus confitetur quod erat, qui statim cum lachrymis fugam arripere adhortans equum peroptimum regi tradidit. Postea vero ad dominum

A.D. 1192. reversus dicit, frivolum esse quod audierat de adventu regis; sed esse Baldwinum de Betun et comites ejus, qui de peregrinatione redibant. At ille furibundus jussit omnes comprehendi; sed rex latenter cum Wilhelmo de Stagno et puero quodam, qui linguam Theutonicam intelligebat, de urbe egrediens per tres dies et noctes sine cibo in via permansit; deinde, famis urgente inedia, ad quandam villam, nomine Gynatiam, in Austria prope Danubium divertit, ubi tunc temporis ad cumulum omnium malorum dux Austriæ morabatur.

*Qualiter rex Richardus a duce captus sit et in custodia positus.*

Appulso itaque in Austria rege Richardo, misit puerum suum ad escambium in civitatem Gynatiam, ut cibos famelicis compararet. Ille autem ad escambium veniens, cum plures bizantios proferret nimisque curialiter ac pompaticè se haberet, a civibus illico comprehensus est, ac, requisitus quisnam esset, servientem cujusdam ditissimi mercatoris se esse respondit, qui post triduum ad urbem illam erat venturus; sicque tunc ab eis dimissus ad secretum regis hospitium clanculo divertit fugamque quantocius cohortatur, denuntians regi quæ sibi acciderant. Sed rex post nimiam maris vexationem in urbe prædicta per dies aliquot requiescere cupiens, dum puer præfatus sæpius pro necessariis emendis ad forum publicum regreditur, accidit quod die sancti Thomæ apostoli chirothecas domini regis sub zona incautius secum gestaret; quas urbis magistratus intuentes, puerumque iterum apprehendentes, dirissime torquent, variis cruciatibus afficiunt, vulnera infligunt, linguam abstractam amputare minantur, nisi confiteatur quantocius veritatem. Puer autem intolerabili cruciatu compulsus eisdem, ut res se habuit, intimavit. At illi continuo

hæc omnia duci intimantes hospitium regis circum- A.D. 1192.  
vallant, et, ut sponte se reddat, acriter insistunt; rex  
autem ad tumultuantium barbariem vocum imperter-  
ritus manens, suam probitatem non prævalere contra  
tot barbaros sentiens, jussit adesse ducem, ipsi soli se  
redditurum promittens; duci autem illico adventanti  
rex obviam processit, seque ei cum gladio tradidit.  
Dux autem hilaris effectus regem secum honorifice  
adduxit, quem deinde strenuis militibus custodiendum  
tradidit, qui die noctuque strictis ensibus eum ubique  
artissime custodirent. Quod miserabile infortunium  
non absque omnipotentis Domini judicio, licet nobis  
occulto, evenisse arbitrandum est; sive pro ipsius  
regis lubricæ ætatis erratis<sup>1</sup> castigandis, sive pro sub-  
ditorum suorum culpis feriendis, vel etiam ut idem  
rex ad poenitentiam et satisfactionem congruam revo-  
cicaretur super excessu, quo patrem suum carnalem  
Henricum regem lecto decumbentem, tam auxilio quam  
consilio regis Francorum, apud urbem Cenomannicam  
obsidione vallavit; et licet eum corporaliter ferro non  
mactaverat, tamen crebris eum assultibus inde rece-  
dere coegit, quæ omnia mortis ejus causam ingessisse  
non est ambigendum.

Eodem anno Savaricus, Northamptoniensis archi-  
diaconus, electus est<sup>1</sup> in episcopum Bathoniensem, qui  
Romam profectus ibidem est presbyter ordinatus, et  
decimo tertio kalendas Octobris ab Albano, Albanensi  
episcopo, munus consecrationis suscepit.

*Qualiter dux Austriae regem Ricardum imperatori  
vendiderit.*

Anno gratiæ MCXCIII. rex Richardus remansit in A.D. 1193.  
custodia ducis Austriae, donec ipsum vendidit impera-  
tori Romano pro sexaginta millibus libris argenti ad

---

<sup>1</sup> Erratibus in D.

A.D. 1193. pondus Coloniensium, et tunc feria tertia post Ramos palmarum ipsum adducens diligenter custodiri fecit; et, ut regem ad immoderatam redemptionis pecuniæ impelleret quantitatem, retrudi eum præcepit in Trivallis, a quo carcere nullus ante dies istos exivit qui ibidem intravit, de quo Aristoteles in libro quinto,<sup>1</sup> “ Bonum est mactare parentes in Trivallis,” et alibi,

Sunt loca, sunt gentes, quibus est mactare parentes; <sup>2</sup>

ubi sub copiosa militum et servientium multitudine, qui eum in locis omnibus die noctuque strictis comitarentur gladiis, lectumque regis ambierent deputati,<sup>3</sup> neminem suorum cum eo pernoctare permiserunt. Hæc omnia serenissimi principis nunquam obfuscare vultum potuerunt, quin hilaris et jucundus in verbis, quin ferox et audacissimus in factis, prout tempus, locus, causa, persona exigebat, semper appareret; quotiens autem custodes suos joculando deturpaverit, quotiens eos inebriando ludificaverit,<sup>4</sup> quotiens tam immanium vires corporum quasi ludendo aggressus fuerit, aliis narrandum derelinquo.

*Quomodo imperator regem Richardum in multis accusaverit, et quomodo rex prudenter responderit.*

Imperator autem iratum animum ac ferocem contra regem diutius præferens nullatenus eum in præsentia sua convocare vel alloqui dignabatur, quia ipsum in pluribus contra se<sup>5</sup> et suos graviter deliquisse conquestus est, calumnias multas eidem regi prætendens. Tandem hinc inde mediantibus amicis, et præcipue N., Cluniacensi abbate, et Willelmo, regis cancellario, imperator, convocatis episcopis, ducibus et comitibus

<sup>1</sup> Topicorum inserted in C.

<sup>2</sup> Pietas inserted in C.

<sup>3</sup> Deputatis in D.

<sup>4</sup> The four preceding words wanting in C.

<sup>5</sup> Regem in C.

suis, regem in præsentiā suam accersiri jussit, eumque A.D. 1193  
in pluribus articulis coram omnibus accusavit. In primis, scilicet, quod per ejus consilium et auxilium regnum Siciliae et Apuliae, quod sibi jure hæreditario debebatur, defuncto rege Willelmo, amiserit: pro quo adipiscendo exercitum permaximum, data pecunia infinita, conduxerat, cum idem rex sibi auxilium fore præstiturum fideliter spondisset, ut a Tancredo regnum illud obtineret. Deinde causatur de imperatore Cypri, qui ei affinitate conjunctus fuerat, quod eum injuste ab imperio ejecerit et carcerali custodiae deputaverit, et terram ejus cum thesauris violenter invaserit et insulam cuidam alieno vendiderit. Postmodum vero ipsum accusavit de morte marchisii de Monte-Ferrato hæredis sui, quod videlicet per ejus proditionem et machinationem ab Assisinis peremptus sit; quos etiam miserat ad perimendum regem Francorum dominum suum, cui nullam fidelitatem servavit in communi eorum peregrinatione, sicut juramenti sacramento inter utrosque fuerat confirmatum. Deinde conqueritur, quod signum ducis Austriae, consanguinei sui, ob ejus contemptum apud Jopen in cloacam præcipitaverit, et Theutonicos suos in terra sancta verbis probrosis et factis ubique dehonestaverit.

Super his autem et hujusmodi calumniis rex Anglorum ab imperatore conventus, protinus in medio stans contra singulas objectiones ita luculenter et argumentose respondens peroravit, ut omnibus admirationi et venerationi haberetur, ita ut nulla suspicio de his, in quibus accusabatur, in eorum audientium ulterius remaneret; nam dictorum veritatem et ordinem veridicis quibusdam assertionibus et argumentatione probabili ita in lucem propalavit, ut omnes suspiciones falsas, quibus impetebatur, omnimodis allegationibus cassaret<sup>1</sup> et gestorum veritatem non tace-

---

<sup>1</sup> Cassaret in C.

A.D. 1193. ret; prodicionem quoque omnimodam, vel alicujus principis necis machinationem, constanter defendebat, asserens se semper fore paratum ad suam innocentiam purgandam super talibus objectionibus, prout imperatoris curia rationabiliter judicaret. Cumque diutius coram imperatore et principibus ejus disertissime, ut erat facundissimus, allegasset, imperator admirans tantam in rege facundiam surrexit, et, accersito ad se ipso, ejus in oscula ruit, ac deinceps blande leniterque cum eo agebat. Ab illo denique die cœpit imperator mitius agere et regem familiariter honorare.

<sup>1</sup> *Quod rex Richardus pro redemptione sua centum et quadraginta millia librarum finem fecerit.*

His ita gestis, amicis hinc inde mediantibus, pro redemptione regis diutius tractatum est; tandem ad hoc est perventum, ut pro redemptione ejus imperatori darentur centum quadraginta millia marcæ argenti ad pondus Coloniensium, antequam inter eos conveniret. Præstitum est ab episcopis, ducibus ac baronibus, juramentum die apostolorum Petri et Pauli, ut, quam citius prænominatam pecuniam rex persolvisset, continuo liber proprium regrederetur ad regnum. Perlata autem in Angliam hujus concordie sententia a regis cancellario Willelmo, Eliensi episcopo, qui literas domini regis et bullam auream imperatoris secum detulit, continuo exiit edictum a justiciariis regis, ut <sup>2</sup> omnes episcopi, clerici, comites et barones, abbatie sive prioratus, quartam partem reddituum suorum ad regis redemptionem conferrent; et insuper, ad illud pietatis opus, calices aureos et argenteos sustulerunt. Johannes vero, Norwicensis episcopus, per totam diocesim suam dimidium pretii de calicibus sumpsit, et dimidium de

<sup>1</sup> The two following sections are transposed in C.

<sup>2</sup> Wanting in D.



rebus habitis regi donavit. Ordo Cisterciensis, qui <sup>A.D. 1193.</sup> hactenus liber ab omni exactione exstiterat, lanam suam universam ad regis redemptionem dedit. Nulla denique ecclesia, nullus ordo, nullus gradus vel sexus est prætermisus, qui non cogeret ad liberationem regis. Hujus autem calamitatis præsagia exstiterant insolitæ tempestates, aquarum inundationes, tonitrua horrenda et hyemalia ter vel quater in quolibet mense, cum coruscationibus terribilibus per totum anni illius circulum, unde insecuta est infertilitas fructuum atque frugum.

*Excusatio regis Richardi de morte Marchisii.*

Rex autem Anglorum Richardus, cum injuste fuisset, ut dictum est, de morte Marchisii accusatus, nuntios misit ad magistrum Assisinorum solennes, petens ab eo ut scriberet duci Austriæ sive imperatori et suam innocentiam excusaret, a quo has sequentes literas impetravit; “Limpoldo, duci Austriæ, Vetus de monte, “salutem. Cum plurimi reges et principes ultra mare “Richardum, regem Anglorum et dominum, de morte “Marchisii inculpent, juro per Deum, qui in æternum “regnat, et per legem quam tenemus, quod in ejus “morte nullam culpam habuit. Est autem causa “mortis Marchisii talis; Unus ex fratribus nostris in “unam navim de Salteleia ad partes nostras veniebat, “et tempestas forte impulit illum apud Tyrum, et “Marchisius fecit illum capere et occidere, et magnam “pecuniam ejus rapuit. Nos vero Marchisio nuntios “nostros misimus, mandantes ut pecuniam fratris “nostri nobis redderet et de morte fratris nostri no- “biscum se concordaret, et noluit, sed nuntios nostros “sprevit, et mortem fratris nostri super Reginaldum “dominum Sydonis posuit; et nos tantum fecimus “per amicos nostros, ut in veritate scivimus quod

A.D. 1198. " ipse fecit illum occidere et pecuniam capere.<sup>1</sup> Et  
 " iterum alium nuntium nostrum, nomine Edrisum, ad  
 " eum misimus, quem in mari mergere voluit; sed  
 " amici nostri illum a Tyro festinanter recedere fece-  
 " runt, qui ad nos cito venit et nobis ista nuntiavit.  
 " Nos vero ex illa hora Marchisium occidere desi-  
 " deravimus, et duos fratres ad Tyrum misimus, qui  
 " eum aperte et fere coram omni populo Tyri occi-  
 " derunt. Hæc autem causa fuit mortis Marchisii, et  
 " bene dicimus vobis in veritate, quod dominus rex  
 " Richardus in hac morte Marchisii nullam culpam  
 " habuit, et<sup>2</sup> propter hoc domino Regi Richardo malum  
 " fecerunt injuste et sine causa fecerunt. Et sciatis  
 " pro certo, quod nos nullum hominem hujusmodi  
 " pro mercede aliqua vel pro pecunia occidimus, nisi  
 " malum nobis prius fecerit. Et sciatis, quod literas  
 " istas fecimus in domo nostra ad castellum nostrum  
 " Messiac in dimidio Septembri coram fratribus nostris,  
 " et sigillo nostro eas signavimus, anno ab Alexandro  
 " MD."

*Qualiter Hugo, Cestrensis episcopus, bonis omnibus  
 spoliatus fuit.*

Eodem tempore Hugo, Cestrensis episcopus, cum magnis exeniis, quæ summo præparaverat studio, regem videre maturavit, sed prope Cantuariam de nocte quiescens comprehensus est et bonis omnibus spoliatus. Matthæus de Clera, municeps Doverensis, prædonibus favorem præstitit; unde ab archiepiscopo excommunicatus, si satisfecerit, ignoratur.

<sup>1</sup> Rapere in C.

| <sup>2</sup> Qui inserted in D.

*De morte Salaadini et successione Saphadini.*

Per idem tempus Salaadinus, veritatis et crucis A.D. 1193. publicus inimicus, divina animadversione percussus apud Nazaret inter epulas subito exspiravit, cujus regnum Saphadinus frater ejus illico usurpavit. Fuerunt autem cum eo septem filii Salaadini, contra quos filii Noradini, quos Salaadinus de regno paterno expulerat, cum multitudine Persarum ascenderunt. De istis autem fratribus, Salaadino videlicet et Saphadino, et eorum progenie et filiorum successione, ad historiae claritatem pauca dicenda sunt, qui in omni versutia in paganismo omnibus præeminebant. Mortuo, autem ut dictum est, Salaadino, qui novem reliquit filios regni sui hæredes, Saphadinus, minor natu, omnes nepotes suos interfecit præter unum, qui Noradinus vocabatur; hic tenet terram de Halape, cum omnibus vicinis civitatibus et castris et villis et aliis munitio- nibus, quæ sunt plusquam ducentæ. Saphadinus au- tem, fraterno potitus regno et<sup>1</sup> nepotibus interfectis, quindecim filios habuit, ex quibus septem in regnis homicidio acquisitis<sup>2</sup> hæreditavit. Primus filiorum ejus Melealim vocabatur, cui dedit in hæreditatem de se tenendam Alexandriam, Babyloniam, Kayram, Da- mietam et Canisiam, cum tota terra Ægypti; sed<sup>3</sup> filius ejus, nomine Coradinus, tenet Damascum, Hieru- salem et totam terram Christianorum, inter civitates et munitiones et castra plusquam trecenta, præter villas. Tertius filius ejus Melchiphais tenet terram, quæ dicitur Gemella, cum tota provincia, ubi sunt plusquam quadringentæ inter civitates et munitiones et castra, præter villas. Quartus filius ejus, nomine Mehemodain, tenet regnum Asiæ, quod habet inter civitates et munitiones et castra, præter villas, plus-

<sup>1</sup> Wanting in D.<sup>2</sup> Acquisitis in D.<sup>3</sup> Secundus inserted in C.

A.D. 1193. quam sexcentas. Quintus filius ejus, nomine Mechisemaphat, tenet terram de Sarcho, ubi Abel mortuus fuit; in quo regno sunt inter civitates et munitiones et castra, præter villas, nongenta vel amplius. Sextus filius ejus, nomine Machinoth, tenet terram de Baldach, ubi habitat papa Saracenorum, qui Calyphus appellatur, et timetur in lege eorum et adoratur, sicut pontifex Romanus apud nos; hic non potest videri nisi bis in mense; progreditur autem cum discipulis suis, quos habet sicut papa [et] cardinales, ad mahumeriam, ubi est Mahumetus deus Agarenorum, et, inclinato capite et facta oratione secundum legem eorum, antequam exeunt de templo comedunt et bibunt, et postea ad palatium revertitur coronatus. Iste Mahumetus visitatur et adoratur, sicut populus Christianus adorant Christum crucifixum; est autem civitas de Baldach, ubi est Mahumetus et Calyphus, caput gentis Agarenorum, ut Roma in populo Christiano. Septimus filius Saphadini, nomine Salaphat, non habet terram hæreditalem,<sup>1</sup> sed est cum fratre suo Melealim et portat vexillum suum; cui unusquisque fratrum suorum annis singulis mille Saracenos transmittit et centum bizantios et duos dextrarios bene paratos. Saphadinus pater eorum, quando visitabat filios suos, velato capite incedebat<sup>2</sup> cum uno serico rubeo, cui omnes filii, quatuor vicibus capite ad terram inclinato et pede osculato, [occurrunt, et] recipit eos ad osculum et ad manum, et cum unoquoque eorum moram facit per triduum semel in anno; et quilibet eorum habet anulum in digito, in quo patris imago sculpta est. Et, quando equitat, non ostendit faciem suam, nisi decies in anno; et quando recipit nuntios ab aliquo principe, prima die recipit eos in palatio<sup>3</sup> suo per servos suos armatos, secunda die dicitur eis responsum secundum

<sup>1</sup> Hæreditabilem in D.

<sup>2</sup> Incedit in D.

<sup>3</sup> Palatia sua in D.

causam, et ante diem tertiam non datur licentia accedi ad eum. Octo autem filii ejus, de patris sui constitutione, vivunt in hunc modum; duo ex eis custodiunt sepulchrum Christi et eis datur quicquid ad sepulchrum offertur, at ipsi hoc dividunt inter se; valet autem redditus eorum viginti millia Saracenorum; quatuor filii habent redditus de Nilo, et redditus illorum valet plusquam quadraginta millia Saracenorum; alii duo fratres minores sunt quotidie ante Mahumetum pro castitate, et eis datur quicquid ad pedes ejus offertur, quod valet triginta millia Saracenorum. Saphadinus quindecim habet uxores et totidem heredes; cum uxoribus singulis dormiebat, cui cum aliqua filium parit, cum illa cunctis videntibus dormit; et, cum aliqua illarum quindecim mortua fuerit, de legis suae consuetudine statim aliam introducit. Habent enim legem scriptam a Mahumeto sibi traditam, et hic liber dicitur Alcoranus; cujus libri praecepta illa gens nefaria ita inviolabiliter observat, sicut nos Christiani textum evangelii observamus.

*Ut Johannes, frater regis, regnum Angliae sibi subjugare voluerit.*

Rege autem Richardo, ut dictum est, ab imperatore detento, comes Johannes frater ejus, audito regis infortunio atque de ejus regressu diffidens, foedus amicitiae cum Philippo, Francorum rege, iniit, sinistroque usus consilio in Anglia pro fratre disposuit coronari, sed Anglorum virtute laudabili fuit impeditus.

*Ut rex Francorum Normanniam occupare attentaverit.*

Rex Francorum Philippus, in illis diebus inimicitias ubique contra regem Anglorum exercens, Normanniam maximo exercitu aggreditur, non ordini, non sexui,

A.D. 1193. non ætati parcens. Gilebertus de Wascuil, accersito ad se rege prædicto, Gisortium ei per traditionem tradit, sicut prius convenerat inter eos. Deinde idem rex totum Vegeinum Normanicum et comitatum Albemarle usque ad Diepe et Vallem de Ruil cum castellis præcipuis, partim proditione, partim expugnatione, sibi subegit; terram etiam Hugonis de Gurnai, qui se cum quibusdam aliis regi Francorum subdiderat, subjugavit. Rothomagum insuper obsidione vallavit, sed comitis Leicestræ<sup>1</sup> magna virtute ac civium probitate cum suorum amissione et confusione ab urbe recessit. Civitatem Ebroicensem idem rex cepit, et eam etiam comiti [Johanni] ad custodiendum commisit.

*Ut rex Francorum sororem regis Daciæ duxerit uxorem et statim repudiaverit.*

Per idem tempus rex Francorum sororem regis Daciæ,<sup>2</sup> Ingelburgam nomine, puellam mirabili decore præditam, accepit in uxorem; quam post nuptias repudians inter sanctimoniales apud Suessionem collocavit, Dacosque omnes, qui cum illa venerant, repatriare præcepit.

Eodem anno Hubertus Walteri, Saresberiensis episcopus, in archiepiscopum Cantuariensem electus canonicè in crastino sancti Leonardi in sua sede est collocatus; cujus industriæ, ex præcepto regis Richardi, regnum Angliæ et ejus administratio commissa est,<sup>3</sup> amoto Waltero, Rothomagensi archiepiscopo, qui vocatus a rege transiit in Alemanniam, cum quo et regina Alienor mater regis proficiscens filium videre maturavit.

<sup>1</sup> Leicestræ in D.

<sup>2</sup> Wanting in C.

<sup>3</sup> Sunt in C.

*Ut rex Richardus a carcere liberatus in Angliam  
venerit.*

Anno Dominicæ nativitatis MCXCIV. rex Richardus,<sup>1</sup> A.D. 1194. maxima jam parte suæ redemptionis persoluta, obsidibusque datis pro parte, quæ restabat persolvenda, die purificationis beatæ Mariæ ab omni custodia imperatoris liber effectus permissus est proprium redire ad regnum; qui, cum matre sua et cancellario per terram ducis Lovaniæ ad mare Britannicum perveniens, in die Dominica post festum sancti Gregorii<sup>2</sup> proximi in Angliam cum ingenti omnium gaudio ad portum applicuit Sandwicensem. Hora autem, qua rex cum suis applicuit, hora scilicet diei secunda, sole clarius rutilante, apparuit splendor quidam serenissimus et insolitus, non longius a sole<sup>3</sup> remotus quam ad longitudinem et latitudinem humani corporis, candorem perfulgidum atque rubedinem quasi species iris habens, quem splendorem plures intuentes pronuntiabant regem in Angliam fore appulsum. Rex autem confestim Cantuariam profectus beatum Thomam devotus petivit; deinde Londonias veniens cum maxima lætitiæ pompa exceptus est, universa civitate contra regis adventum innumerabilium varietate opum decorata ac multipliciter adornata. Audito autem adventu regis, nobiles pariter et ignobiles regi venienti cum ingenti alacritate occurrunt, cernere plurimum cupientes a captivitate regressum, quem nunquam timuerant reversurum. Rege vero vix per diem unum apud Westmonasterium commorante, ad sanctum Eadmundum gratia orationis progreditur; indeque Notingham properavit obsessurus eos et expugnaturus, qui contra eum conspiraverant<sup>4</sup> et se Johanni comiti obligave-

<sup>1</sup> Rex Richardus wanting in C.

<sup>2</sup> Georgii in C.

<sup>3</sup> Se in C.

<sup>4</sup> Exspiraverant in C.

A.D. 1194. rant. Exercitus Angliæ omnia nimirum castella præfati comitis jam ceperat, isto se solo tenente et adhuc viriliter defendente; sed rege castellum obsidente et seinel assiliente, ut certius cognoverunt obsessi insperatum regis adventum, castellum ei reddiderunt, seipsos cum suis in voluntate regis et miseratione ponentes, quorum quosdam in carcerem detrusit, quosdam digno pretio redemit, in tali necessitate avidè sitiens pecuniam singulorum. Duæ quidem præcipue eum causæ vehementer urgebant, ut, scilicet, obsides pro se datos erga imperatorem liberaret, et ut exercitum copiosum contra regem Francorum statim conduceret, qui terram suam incendiis et rapinis undique devastabat; quapropter, si avidius quam regiam deceret majestatem in tanta necessitate a subditis pecuniam exquirebat, ignoscendum potius erat quam necessitati regis derogandum.

*Ut rex Richardus coronam portaverit, et statim in Normanniam transfretaverit.*

Subactis igitur in brevi omnibus adversariis suis in Anglia, rex Richardus consilio procerum suorum in octavis Paschæ, licet aliquantulum renitens, apud Wintoniam coronatus est; Huberto, archiepiscopo Cantuariensi, missam celebrante, et Willelmo, rege Scotorum, præsentè. Deinde in festo sanctorum Nerei et Achillei apud Portesmuthe<sup>1</sup> navem ascendens in Normanniam applicuit et apud Bruis nocte illa quievit, ubi comes Johannes, frater ejus, optimo usus consilio regi supplex occurrit, et se ad pedes ejus humiliter cum militibus multis prosternens miserationem fratris profusis lachrymis imploravit, seque in multis accusans insipientiam confitetur; at rex, ut erat pius,

---

<sup>1</sup> Portesmue in C.



fraternæ calamitati compassus non se potuit a lachry- A.D. 1194.  
 mis cohibere, sed fratrem in terra prostratum erigens  
 in pristinam gratiam recepit.<sup>1</sup>

*Ut rex Richardus regem Francorum a Vernolio  
 fugaverit.*

Audiens autem rex Richardus regem Francorum Vernolium obsidione vallasse, nec in petrariis erigendis, vel magnis lapidibus comportandis, vel murorum subfossionibus excavandis, vel in corporibus obsessorum affligendis, per dies octo cessasse,<sup>2</sup> illuc cum festinatione pertendit. Instabat enim magnus ille dies Pentecostes, sed, ne die sancto Galligenæ se victoriam reportasse jactarent, audierunt sub ipso noctis crepusculo, quod rex Anglorum accinctus esset ad pugnam et summo diluculo adventurus; quo Francigenæ rumore perterriti, ut qui ejus audaciam sæpius experti fuerant, elegerunt potius fugere quam pugnare, cum suo semper damno et opprobrio recedentes a castris.

*Ut Herebertus Pauper episcopatum Saresbiriensem  
 acceperit.*

Per idem tempus Herebertus, cognomento Pauper, Cantuariensis archidiaconus, in episcopum Saresbiriensem canonicè electus sabbato in Pentecosten presbyter est ordinatus, et in crastino ab archiepiscopo Cantuariensi Huberto apud Westmonasterium episcopus est consecratus.

Eodem tempore rex Francorum a Vernolio recedens, ne nil agere videretur, castellulum, quod Fontes appellatur, furibundus subvertit, et sic cum qualiquali victoria ad propria remeavit.

<sup>1</sup> Verumtamen terras suas ei abl . . as non continuo illi restituit added in C.

<sup>2</sup> Et inserted in C.

*Ut rex Richardus castrum de Luches cepit.*

A.D. 1194. His ita gestis, rex Richardus Turonis veniens a Novi-Castelli burgensibus, ubi beatus requiescit Martinus, duo millia marcas argenti nomine exeniorum suscepit. Tendens inde intra fines Turoniæ castellum de Luches, quod rex Francorum nomine obsidatus a ballivis regis Angliæ receperat dum in vinculis tenebatur, ne conventionem quam cum illo fecerat infringere, et quindecim militibus et servientibus quater viginti cum victualium sufficientia custodiendum commiserat, rex Anglorum obsedit et infra dies paucos viriliter expugnavit. Tunc venit in auxilium regis Anglorum filius regis Navarræ copiosum ducens exercitum, et quinquaginta balistarios, additis centum, habens in comitatu; terram Gaufridi de Ravenna terramque comitis Engolismi penitus devastavit.

*Ut rex Richardus regem Francorum de finibus Turoniæ fugaverit.*

His præterea diebus Francorum rex Philippus fines Turoniæ intrans prope Vindecimum tentoria fixit; quo cum regem Anglorum per exploratores supervenire cognosceret, summo mane tentoriis evulsis, Fractam-vallem cum festinatione petivit, rex autem Anglorum illum insecutus quadrigas ejus, necnon comitum et baronum sub eo militantium, sarcinasque omnes sub captione conclusit; aurum et argentum, balistas et tentoria, aliasque res innumeras cepit et secum reduxit; sicque in Pictaviam transiens, infra dies paucos Taileburc castellum terramque omnium adversariorum suorum, comitis videlicet Engolismi et Gaufridi de Ravenna, sua sub potestate recepit, ita ut a castello Vernolii usque ad Crucem-Caroli nullus ei rebellis existeret.

*Ut rex Francorum Richardum regem circumvenire  
tentaverit.*

Circa hos denique dies rex Francorum nuntios qua- A.D. 1194.  
tuor misit ad regem Anglorum, verbis utens pacificis  
in dolo, petens ut populis utriusque regis<sup>1</sup> subjectis,  
quorum tam aurum quam argentum bellicis cladibus  
loculos hauriendo evacuaverant et sanguinem nobilium  
utriusque regni profuderant, salubriter parcentes, sub  
certamine quinque virorum hinc inde dirimerentur  
quæstiones amborum, considentibus regni utriusque  
principibus et rei eventum exspectantibus, donec, con-  
flictu terminato, adjudicarent, quid utrique regum  
cedere de jure deberet. Placuit supra modum pro-  
visio ista Anglorum regi, dummodo rex Francorum  
quintus inter suos et rex Anglorum itidem inter suos  
quintus appareat, ut, paritate servata corporum et  
armorum, æqua lance configant; quod rex Francorum  
in subsannationem multorum agere recusavit. His ita  
gestis, mediantibus viris religiosis, treugæ statutæ  
sunt inter reges Francorum et Anglorum, sed com-  
meatui negotiatorum hinc inde interdictum est.

*Ut rex Richardus per Angliam torneamenta  
statuerit.*

Eodem tempore rex Richardus in Angliam transiens  
statuit per loca certa torneamenta fieri, hac fortassis  
inductus ratione, ut milites regni undique concur-  
rentes vires suas flexis in gyrum frenis experirentur,  
ut, si bellum adversus crucis inimicos vel etiam fini-  
timos movere decreverint, agiliores ad proelium et  
exercitiores redderentur.

His etiam diebus Alexius quidam, Manuelis quon-  
dam Constantinopolitani imperatoris filius, innumer-

---

<sup>1</sup> Potestati inserted in C.

A.D. 1194. abili multitudine armatorum congregata, Cursac, nunc imperatorem Constantinopolitanum, hostiliter aggressum cepit et excecavit, atque tandem ementulatum perpetuo carcere damnavit ejusque imperium occupavit.

*Ut rex Anglorum de captione sua de duce Austriae domino papae querelam deposuerit.*

A.D. 1195. Anno Dominicæ nativitatæ MCXCV. rex Richardus ad sedem apostolicam nuntios direxit, qui in præsentia domini papæ constituti talem deposuerunt querelam; "Pater sancte, salutem excellentiam vestram rex Anglorum dominus noster Richardus, et postulat sibi justitiam exhiberi de duce Austriae, qui ipsum de peregrinatione sua tam laboriosa revertentem cepit, et, aliter quam tantum principem decuit, afflixit, imperatori, ac si bos esset vel asinus, vendidit; qui postmodum ambo regnum ejus intolerabili redemptionis debito contriverunt. Ipsi insuper, a Christianæ fidei legibus non alieni, in tali casu regi detento<sup>1</sup> graviora exercuerunt judicia quam ipse Salaadinus faceret, si in manibus ipsius per simile infortunium incidisset; contra quem idem rex a finibus terræ, relicto regno nuper adeptus, relicta patria, parentibus et amicis, dimicaturus ascendit. Sciret forsitan regis generositati simul et probitati sive majestati nimirum deferre, cui illa gens barbara et cervicosa deferre<sup>2</sup> nescivit; sed fortasse hoc fecerunt, ut sibi tanti regis captio pro laudabili victoria imputaretur, cum nunquam ipsum bello appetere præsumpsissent, si bellicoso suo exercitu vallatus fuisset. Nec sibi regis dejectionem existiment imputari, sed divinæ potius dispensationi, ad

<sup>1</sup> Detentu in C.

<sup>2</sup> The seven preceding words wanting in C.

“cujus nutum rota etiam fortunæ hunc humiliat et A.D. 1195.  
 “hunc exaltat, hunc dejicit et hunc attollit. Movet  
 “præterea non mediocriter dominum nostrum regem,  
 “quod, sub pace et protectione vestra omnibus pere-  
 “grinis usque ad triennium concessa et in pœnam  
 “excommunicationis inflicta et firmata, ipsum a pere-  
 “grinatione venientem et iterum redire disponentem  
 “ceperunt, atque sub custodia carcerali detrudentes  
 “ad gravissimam redemptionis summam coegerunt.  
 “Jubeat ergo excellentia vestra, cum festinatione, ut  
 “obsides domini nostri regis, qui adhuc pro parte re-  
 “demptionis, quæ solvenda restat, detinentur in vin-  
 “culis, liberos exire dux ille permittat, et pecuniam  
 “quam a domino nostro excommunicatus recepit, ex  
 “integro restituat, necnon injuriam sibi suisque illa-  
 “tam digna satisfactione emendet.”

*De excommunicatione ducis Austriae pro rege  
 Richardo.*

Cumque hæc et alia multa coram summo pontifice regii nuntii allegassent, dominus papa illico surgens cum suis cardinalibus ipsum ducem nominatim excommunicavit et in genere omnes, qui in regem et suos manus injecerant violentas; terramque ducis totam ecclesiastico supponens interdicto Veronensi episcopo dedit in mandatis, quatenus hanc interdicti et excommunicationis sententiam singulis diebus Dominicis et festivis per totum Austriae ducatum faciat publicari. “Quod si idem dux mandatis nostris parere decreverit, in virtute Dei eidem præcipias ut obsides regis Anglorum universos absolvat, pactiones omnes relaxet, et ablata sibi per eum et suos, et quæ de ipsius regis iniqua redemptione percepit, universa restituens eosdem obsides faciat cum securitate ad propria remeare, et, amodo talia non attentans, nihilominus etiam de injuria et damnis congrue satisfaciat irrogatis.”

*De miserabili morte ducis Austriae.*

A.D. 1195. His omnibus præfato duci ab episcopo Veronensi rite denuntiatis, dum idem dux mandati apostolici spernator<sup>1</sup> existeret, percussa est terra illius sterilitate inaudita, fame nihilominus et peste; Danubius etiam fluvius, in parte quadam terræ ipsius plus solito inundans, inopinato eventu hominum decem millia submersit. Sed cum in hiis omnibus non sit aversus furor ducis, imo in deterius aggravatus, ipse divino iudicio terribiliter percussus est; die siquidem sancti Stephani, cum equitando lusum pergeret, sociis comitantibus, equus, cui dux insidebat, violenter pedem offendens tibiam sedentis cum pede insanabiliter contrivit, nam tibia cum pede protinus conjuncta nigredine quadam intumescens nullo medicorum potuit cataplasmate sedari, quin igni,<sup>2</sup> quem infernalem vocant, tumori admixto<sup>3</sup> intolerabiliter cruciaretur. Quem dux cruciatum ferre non valens pedem a crure fecit detruncari, ipso interium dolabrum tenente, cæteris omnibus præ nimio horrore hoc facere renuentibus; sed nec sic doloris cruciatus evasit, nam illico femur cum corpore reliquo igne illo exsecrabili depascebatur. Tandem vero culpam recognoscens iniquam, quam in regem et suos malitiose exercuerat, suadentibus episcopis, qui aderant, obsides absolvit, et residuum pecuniæ de redemptione regis et<sup>4</sup> quod receperat se redditurum sponndit, atque ecclesiasticæ censuræ se<sup>5</sup> deinceps pariturum promisit. Tunc episcopi, qui aderant, videntes eum in tanta miseria et calamitate constitutum, a sententia excommunicationis absolventes ad communionem fidelium admiserunt, et sic cum intolerabili cruciatu spiritum exhalavit; cujus corpus diutius

<sup>1</sup> Aspernato in C.<sup>2</sup> Ignis in D.<sup>3</sup> Admixtas in C.<sup>4</sup> Wanting in C.<sup>5</sup> Wanting in C.

jacuit inhumatum, donec horribilibus scateret vermibus, A.D. 1195. eo quod filius ejus mandata patris exequi nollet, sed tandem ab amicis compulsus obsides absolvit et repatriandi licentiam concessit.

*Ut imperator Henricus regnum Apuliæ subjugaverit.*

Imperator Henricus his diebus subjugavit sibi regnum Apuliæ et Siciliæ, mortuo Tancredo, qui Willelmo Regi injuste successerat; duxerat enim uxorem sororem regis Willelmi, cui regnum illud mortuo fratre justius debebatur.

*De horribili adventu Saracenorum in Hispaniam.*

Circa dies istos rex de Maroch cum regulis triginta et innumerabili exercitu paganorum ex Africa prorumpens in Hispaniam applicuit terramque regis petit Hispaniæ, aliasque provincias plurimas incendiis depopulans et rapinis non pepercit sexui, ordini vel ætati, nisi eis tantum qui se ipsius vesaniæ subdiderunt; habebat enim in exercitu suo sex decies centum millia pugnatorum, ex quorum inopinato adventu tota Christianitas perturbata est vehementer.

*De morte Guarini abbatis et successione abbatis  
Johannis.*

Eodem anno Guarinus, abbas ecclesiæ sancti Albani, cum sedisset annis undecim, mensibus octo, totidemque diebus, tertio kalendas Maii diem clausit extremum; cui successit Johannes, ejusdem ecclesiæ monachus, decimo tertio kalendas Augusti in abbatem electus, qui tertio kalendas ejusdem a Richardo, Londoniensi episcopo, munus benedictionis accepit.

*De legatione Huberti, Cantuariensis archiepiscopi.*

A.D. 1195. Per idem tempus papa Cælestinus omnibus Angliæ prælatibus scripsit in hæc verba; "Cælestinus episcopus, " venerabilibus fratribus Eboracensi archiepiscopo et " universis episcopis, abbatibus, prioribus et aliis eccle- " siarum prælatibus per regnum Angliæ constitutis, " salutem, et cætera. Cum omnibus ecclesiis ex com- " misso nobis pastoralis sollicitudinis officio providere " teneamur, specialiter tamen ad præsens Anglicanam " ecclesiam paternæ considerationis acie intuentes, ad " salutem ipsius communi fratrum nostrorum consilio " decrevimus, ut venerabilis frater noster Hubertus, " Cantuariensis archiepiscopus, de [cujus] meritis et " virtute, sapientia pariter et doctrina, ecclesia uni- " versalis congaudet, ministerio legationis accepto, vices " nostras ad honorem ecclesiæ, totius regni salutem " et pacem, per totum regnum Angliæ, non obstante " privilegio vel exceptione<sup>1</sup> tibi aut ecclesiæ tuæ, " frater archiepiscopus, vel alii facto, libere exequatur. " Præsentium igitur auctoritate universitati vestræ per " apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus " eidem tanquam apostolicæ sedis legato reverentiam " impendatis debitam et honorem."

*Admonitio papæ ad regem Francorum pro regina sua, quam repudiaverat.*

Ea tempestate papa Cælestinus Senonensi archiepiscopo inter cætera scripsit in hæc verba; "Nos " itaque, qui ipsum regem Francorum specialiter in " visceribus nostris caritatis diligimus, per dilectum " filium nostrum C. subdiaconum, apostolicæ sedis " legatum ad hoc specialiter missum, rogavimus eun- " dem, ut reginam suam, quam a se consilio iniquo

---

<sup>1</sup> Exemptione in C.



“ amoverat, affectu maritali tractaret, nec illis aures A.D. 1195.  
 “ accommodare curaret, qui pro lucro reputant, si pos-  
 “ sunt, inter aliquos odium et discordiam seminare.  
 “ Inde est, quod illam divortii sententiam, contra  
 “ juris ordinem prolatam, de fratrum nostrorum con-  
 “ silio penitus irritantes, fraternitati tuæ per apos-  
 “ tolica scripta mandamus firmiter et præcipimus,  
 “ quatenus, si prædictus rex, ista vivente, aliam su-  
 “ perducere voluerit, vos auctoritate apostolica id eidem  
 “ inhibere curetis.”

*Admonitio papæ episcopis Angliæ facto pro negotio  
terræ sanctæ.*

Circa dies istos papa Cælestinus Huberto, Cantua-  
 riensi archiepiscopo, ejusque suffraganeis, pro negotio  
 terræ sanctæ scripsit inter cætera in hunc modum ;  
 “ Vos autem, fratres archiepiscopo et episcopi, quibus  
 “ cura animarum et sollicitudo commissa est, precibus  
 “ instantes ad Dominum incessanter subjectos vobis  
 “ populos inducatis, ut, assumpto crucis signaculo, ad  
 “ confutandos fidei Christianæ persecutores accingan-  
 “ tur ; speramus siquidem et vos sperare debetis, quod  
 “ Dominus in verbo prædicationis et orationis vestræ  
 “ rete laxabit<sup>1</sup> in capturam, et tales ad defensionem  
 “ orientalis provinciæ propitius excitabit, quorum po-  
 “ tius exigentia meritorum quam armorum fiducia  
 “ exsurget Deus, et inimici ejus dissipabuntur, et  
 “ fugient a facie ipsius, qui oderunt eum. Nos au-  
 “ tem illis, qui pro divinitatis amore hujus peregrina-  
 “ tionis laborem assumere, et, in quantum in se fuerit,  
 “ implere studuerint, de indulto nobis a Domino auc-  
 “ toritatis officio illam remissionem impositæ peniten-  
 “ tiæ per sacerdotale ministerium facimus, quam præ-  
 “ decessores nostri suis noscuntur temporibus statuisse,

<sup>1</sup> Relaxabit in C.

A.D. 1195. " ut, videlicet, qui corde contrito et humiliato spiritu  
 — " laborem hujus peregrinationis assumpserint, et in  
 " pœnitentiam peccatorum hoc iter expedierint, si in  
 " fide decesserint, plenam suorum criminum indul-  
 " gentiam et vitam consequentur æternam. Bona quo-  
 " que ipsorum, ex quo crucem acceperint, cum familiis  
 " suis sub Romanæ ecclesiæ necnon et archiepiscoporum  
 " aliorumque ecclesiæ prælatorum protectione consis-  
 " tent; et nullam de his, quæ in susceptione crucis  
 " quiete possederunt, donec de ipsorum reditu vel  
 " obitu certissime cognoscatur, sustineant quæstionem,  
 " sed bona ipsorum integra remaneant interim et  
 " quieta; illi autem, qui in subsidium terræ illius de  
 " bonis suis illuc transmiserint, de peccatis suis ve-  
 " niam consequentur juxta sua<sup>1</sup> moderamina præla-  
 " torum. Verum tibi, frater archiepiscopo, oneris hu-  
 " jus laborem duximus injungendum, mandantes ut  
 " apud carissimum in Christo filium nostrum illustrem  
 " Anglorum regem, qui terram sanctam sub trium  
 " statuit treugis annorum, ut ad defensionem terræ  
 " illius milites et pedites bene instructos transmittat  
 " assiduisque exhortationibus elabores, provinciam cir-  
 " cumiens Anglicanam, opportunis et importunis præ-  
 " dicationibus instes, ut pro defensione Christianitatis,  
 " assumpto crucis signaculo, terram visitent transma-  
 " rinam."

*De quadam pactione facta inter regem Francorum et  
 Anglorum.*

A.D. 1196. Anno Dominicæ nativitatis MCXCVI. rex Anglorum  
 — Richardus fuit ad natale Domini apud Pictavensium  
 civitatem; et deinde post festum sancti Hilarii con-  
 venerunt ad colloquium Philippus, rex Francorum<sup>2</sup>

<sup>1</sup> Suorum in C.

<sup>2</sup> The preceding twelve words wanting in C.

et Richardus, rex Anglorum, apud Loviers, ubi inter <sup>A.D. 1196.</sup> cos convenit in hunc modum; Rex Francorum quietum<sup>1</sup> clamavit Richardo regi Anglorum et hæredibus suis Yssoudum<sup>2</sup> cum pertinentiis suis, et jus totum quod habuit in Berri et Alvernia et Gasconia, et reddidit ei quiete castellum de Archis et comitatum de Anco cum comitatu de Aubemarle, aliaque castella multa, quæ occupaverat post reditum suum de peregrinatione terræ sanctæ; et rex Anglorum quietum clamavit regi Francorum castellum de Gisortio et totum Normanicum Vegesinum; et hæc omnia, ut rata haberentur et firma, fidejussores ad invicem inveniunt, et poenam quindecim millium marcarum argenti inter se statuerunt. Procedente autem tempore, cum rex Richardus prædicta omnia possideret, poenituit regem Francorum tale fecisse commercium, et magnum congerens exercitum Albemariam obsidione vallavit; quo facto, rex Anglorum præcepit saisiri in manu sua in omni loco dominationis suæ omnes res et possessiones abbatum Majoris-monasterii et de Cluniaco et de sancto Dionysio et de Charitate, qui fidejussores erant regis Francorum super pactione præfata, quod, si rex Francorum conventionem non servaret, ipsi darent regi Anglorum pecuniam supradictam. Cepit interim rex Francorum castellum de Aubemarle per insultum et subvertit illud, et rex Anglorum dedit ei tria millia marcas argenti de pecunia præfata pro redemptione militum et servientium suorum, ut salvis equis et armis sinerentur abire. Deinde rex Francorum cepit Nonantcurt, et rex Richardus cepit castellum de Gameges; et sic reges in castrorum captione luserunt.

---

<sup>1</sup> Quietam in D.

| <sup>2</sup> Yssoudum in C.

*De morte Willelmi, quondam civis Londoniensis.*

A.D. 1196.

Circa dies istos surrexit contradictio et iniquitas in civitate Londoniarum inter pauperes et divites ob distributionem nummorum ad commodum fisci subeundorum inæqualiter multotiens factam, sicut dicebatur a multis. Hujus dissensionis fuit causa Willelmus filius Osberti, contra dignitatem regiam populum convocans et multos sub sacramento sibi confederans, fratrem suum carnalem et duos alios integræ opinionis viros tanquam regiæ proditoris reos in suis conventiculis persequatur usque ad mortem, et ad ultimum in ecclesia beati Pauli seditionem, conclamationem et tumultationem multotiens concitavit; et cum, publice peccatis exigentibus, indignationem regis adversum se graviter intelligeret excitatam, infra turrim cujusdam ecclesiæ ad archiepiscopum specialiter pertinentem sese conclusit, locum sacrum in castellum commutans. Videns autem postmodum multitudinem concurrere armatorum, quos archiepiscopus Cantuariensis adduxerat, ut fugeret mortem sibi proximam, intra templum gloriosæ Virginis ignem conjecit et locum Domino consecratum flammis discurrentibus pro parte combussit. Extractus tandem ab ecclesia perductus est ad turrim Londoniensem calculum portans diffinitivum, et, ut unius pena metus possit esse multorum, proceris vestibis spoliatus, manibus a tergo vinctis et pedibus colligatis, equorum ministerio per mediam civitatem trahitur ad furcas prope Tiburcinam; suspensus est itaque<sup>1</sup> ferreis catenis, et cum eo novem ejusdem schismatis consortes, ut, quos par facinus inquinaverat, similis pena multaretur.

Eodem anno Johannes, Rothomagensis decanus, Wigorniensis episcopatus munus consecrationis suscepit decimo tertio kalendas Novembris.

---

<sup>1</sup> Ita in C.

Eodem anno rex Anglorum Richardus firmavit castellum novum in insula de Andeli, contra voluntatem Walteri, Rothomagensis archiepiscopi; et, quoniam rex sæpe admonitus ab inceptis desistere noluit, archiepiscopus præfatus Normanniam totam sub interdicto conclusit, et sic curiam Romanam adivit. A.D. 1196.

*De captione Hugonis de Calvomonte.*

Eodem anno, facto congressione inter familias regum Francorum et Anglorum, captus est Hugo de Calvomonte, regi Francorum valde familiaris, et regi Anglorum præsentatus; qui<sup>1</sup> Roberto de Ros custodiendum commissus,<sup>2</sup> sub custodia Willelmi de Spineto, ejusdem Roberti servientis, male custoditus evasit, qui permissione præfati Willelmi de nocto per murum demissus castellum de Bona-villa supra Tuke, ubi custodiebatur, a tergo salutavit; unde rex Anglorum versus Robertum de Ros nimis iratus cepit ab illo mille et ducentas marcas argenti pro transgressione et Willelmum de Spineto jussit patibulo suspendi.

*De captione episcopi Beluacensis et Willelmi de Merlo.*

His ita gestis, Johannes frater regis et Mercadeus, princeps Brebanciorum, equitationem fecerunt ante civitatem Beluacensem, ubi, dum captioni prædæ intenderent, Philippus, ejusdem civitatis episcopus, et Willelmus de Merlon una cum filio suo et militibus multis et plebe armata exierunt, sed mox capti sunt universi et ex vulgo pars maxima interfecta; et eodem die post captionem illam processerunt ad Milli, castellum episcopi prædicti, et per insultum illud ceperunt et subverterunt, et sic triumphatores gloriosi regi Anglorum captivos omnes tradiderunt; episcopus au-

<sup>1</sup> Quem in D.

j <sup>2</sup> Committens in D.

A.D. 1196. tem, eo quod captus erat in armis, incarceratus est et vinculis graviter coarctatus.

Eodem anno subita aquarum inundatio vehemens et fluctibus procellosis, ædificia involvens omnia circa Secanam adjacentia tam lignea quam lapidea, regem Francorum et Mauricium, Perticiacensem<sup>1</sup> episcopum, Parisius commorantes non parum exterruit; rex autem palatium suum relinquens et filium suum Lodovicum secum assumens apud sanctam Genevefam<sup>2</sup> pernoctavit, et episcopus apud sanctum Victorem.

*De visione cuidam monacho facta de purgatorio et locis pœnalibus, cujus inspectio perutilis est.*

Circa dies istos monachus quidam Eveshamensis cœnobii in languorem decidens per annum integrum et tres menses vehementi corporis molestia vexabatur, qui cibi potusque abominationem adeo incurrerat, ut per novem aliquando dies vel amplius nil præter modicam aquæ calidæ susciperet portionem; nulla ei medicorum industria remedii quicquam conferre potuit, sed, quicquam levaminis causa ei a quolibet exhibitum fuerat, in contrarium vertebatur. Languabat igitur grabbato decumbens et viribus corporis nimium destitutus; loco moveri non potuit, nisi ministrantium labore devectus. Imminente denique Dominicæ resurrectionis die, levius habere incipiens per cellam infirmorum innixus baculo incedebat; cumque tandem nox adesset, cui Dominicæ cœnæ dies proxime succedit, ad majorem basilicam, nesciens sive in corpore sive extra corpus, magnæ devotionis instinctu baculo vehente perrexit; ubi, dum conventus nocturnales de consuetudine laudes Domino persolvebat, tantam divinæ miserationis et gratiæ cœlestis compunctionem percepit,

<sup>1</sup> Parisiacensem in D.

| <sup>2</sup> Genovetam in D.

ut ipsius sancta devotio<sup>1</sup> modum excedere videretur, A.D. 1196. unde nec a fletibus et Dei laudibus a media noctis hora usque ad sextam diei sequentis horam se potuit continere. Tunc accersiri ad se fecit duos de fratribus, unum post alterum, quos viri religiosi confessores vocant, et utrique eorum omnium culparum et minimarum quarumlibet transgressionum ordinis sive præceptorum Dei confessionem pure et in summa cordis contritione et lachrymarum effusione fecit, et absolutionem<sup>2</sup> vehementi desiderio quæsitam percepit, sicque in sancta devotione et Dei laudibus totum diem exegit.

*Ut idem monachus inventus sit quasi mortuus jacere.*

Sequenti vero nocte, modico prælibato sopore, cum ad matutinas tabula percuteretur, lecto se excutiens iter ad ecclesiam aggressus est; sed quid ibi fecit sequens relatio declarabit. Mane autem facto sequentis diei, id est Parasceues, cum fratres ad primam consurgerent et versus ecclesiam ante capitulum transitum facerent, conspiciunt fratrem eundem ante sedem abbatis, ubi fratres veniam petere solent, nudis pedibus jacere prostratum, vultu solo tenus defixo, quasi a quolibet præsidente veniam postularet; quo viso, stupefacti fratres accurrunt, et volentes eum erigere velut exanimem et sine aliquo membrorum motu reperiunt, oculis in profundiora subversis et ipsis luminum sedibus ac naso multo sanguine madefactis. Exspirasse eum proclamant universi<sup>3</sup> dum motus venarum, multo intercurrente spatio, penitus amisisset; sed cum tandem anhelitum, licet perexilem, in eoprehendissent, cervicem, pectus et manus aqua

---

<sup>1</sup> Sanctam devotionem in C.

<sup>2</sup> Fecit et absolutionem wanting in C.

<sup>3</sup> Wanting in D.

A.D. 1196. frigida diluerunt. Primo autem eum corpore toto modice trementem viderunt, sed mox quiescens omnino immobilis permanebat; diutius quid agerent hæsitant, dum nec penitus expiratus nec melioratus in aliquo cerneretur. Inito demum consilio, in infirmariam illum deferunt, in lecto suo collocantes, ubi adhibitis custodibus pervigili diligentia servabatur; pectori denique ejus emplastra alligarunt, acubus plantas pedum punxerunt, sed nihil in eo, quod animati hominis esse videretur, invenire<sup>1</sup> potuerunt. In hunc igitur modum per biduum, id est, a media noctis hora Parascæves usque ad horam completorii sequentis sabbati, lecto decumbens immobilis omnino permansit; in hora autem magni sabbati, qua conventus ad completorium esset conventurus, cilia oculorum prædicti fratris cœperunt paululum agitari, ac demum humor quidam lachrymarum more in genas leniter defluebat, et, quemadmodum dormiens quis ploret, crebra ab imo pectoris visus est ingeminare suspiria, et post modicum de profundo sono vix audibili in gutture verba quædam revolvere videbatur. Deinde, sensim redeunte spiritu, invocare cœpit sanctam Mariam dicens, "O sancta Maria, O domina sancta Maria,<sup>2</sup> pro quo peccato perdo gaudium tam immensum?" Hæc sæpius et alia in hunc modum repetens privationem alicujus immensi gaudii adstantibus indicabat. Deinde quasi de gravi evigilans somno caput excussit et nimis amare flens, defluentibus jugiter lachrymis, singultire cœpit, manibusque complosis ac consertis digitis erexit se subito et resedit, et caput in manibus et super genua deponens lamentabilem nimis planctum diutius continuare, sicut cœperat, non cessabat. Tunc a fratibus multum rogatus, ut post tam prolixum jejunium et laborem aliquid sumeret,

<sup>1</sup> Conjicere in D.

<sup>2</sup> O domina sancta Maria wanting in C.



exigua panis portione potitus pervigil in oratione. A.D. 1196.  
 permansit; requisitus autem si de infirmitate se speraret evasurum respondit, "Satis," inquit, "vivam, quia de infirmitate jam plene convalui." Deinde nocte sequenti, id est Dominicæ resurrectionis, cum ad matutinas signa pulsarentur, ipse nullo usus sustentamine ecclesiam adiit, et, quod undecim mensium spatio antea non fecerat, chorum ingressus est. In crastino autem, divinis rite celebratis obsequiis, sacræ communionis participatione meruit saginari.

*Ut monachus præfatus visionem, quam viderat, revelaverit.*

His ita gestis, idem frater religiosa monachorum sollicitudine propensius convenitur; obnixius postulatur, ut quæ sibi dormienti acciderant, et quæ viderat, ædificationis gratia intimaret, multa enim sibi ostensa fuisse ex signis evidentibus, quæ viderant, intelligentes, qui verba ejus expergiscentis pridie audierant et lachrymas ejus indesinentes videbant. Quo aliquamdiu se facturum dissimulante, cum illi petendo vehementer instarent, quæ inferius digesta sunt, interfluentibus jugiter lachrymis et gemitu vocem crebrius absorbente narravit. "Cum," inquit, "gravi et prolixa, sicut " vidistis, corporis infirmitate deficerem, et Dominum " ore ac mente benedicerem gratiasque illi referrem, " quod me indignum famulum<sup>1</sup> paterno verbere castigare dignaretur, postposita omni spe sospitatis recuperandæ, coepi, prout potui,<sup>2</sup> meipsum præparare, quo " citius futuri seculi calamitates evaderem dum essem " e corpore evocandus. Dum hæc mecum sedulus " agerem, incidi in tentationem, ut Dominum postulare quatenus mihi quocumque modo revelare " dignaretur qualis esset futuri seculi status, quæ

<sup>1</sup> Wanting in C.

| <sup>2</sup> Ut inserted in C.

A.D. 1196. " animarum de corpore exemptarum post hanc vitam  
 " foret conditio ; quatenus, his cognitis, liquidius dig-  
 " noscerem quid mihi in brevi, ut putabam, migraturo  
 " sperandum, quid metuendum existeret, ut perinde  
 " in amore divino proficerem dum in hac vita ancipiti  
 " fluctuarem. Continuis itaque votis meis satisfieri  
 " cupiens, nunc Dominum mundi salvatorem, nunc  
 " matrem ejus Virginem gloriosam, nunc simul omnes  
 " Dei electos invocabam, licet specialiter per interces-  
 " sionem piissimi sanctique confessoris Nicolai sperarem  
 " consequi piæ petitionis effectum ; et ecce nocte  
 " quadam, imminente Quadragesimæ initio, quam  
 " proxime transegimus, mihi paululum dormienti ad-  
 " stitit quædam reverenda persona et omnino decora,  
 " quæ me verbis dulcissimis in hunc modum aggre-  
 " ditur, 'O fili,' inquit, 'carissime, multa tibi est  
 " 'precandi devotio magnaue intentionis tuæ perse-  
 " 'verantia, nec poterit apud clementiam Redemptoris  
 " 'inefficax esse tam continuus orationis tuæ conatus ;  
 " 'veruntamen amodo animo quietiori esto et orationi  
 " 'devotus insiste, quia procul dubio piæ petitionis  
 " 'celerem consequeris effectum.' Et, his dictis, allo-  
 " quentis imago cum ipso est ablata sopore."

*Ut idem monachus crucem Domini adorans eam  
 sanguinolentam conspexerit.*

" Evigilans autem visionem fixo servavi animo de  
 " cursoque jam sex hebdomadarum spatio, cum in  
 " nocte Dominicam cœnam præcedente ad matutinas  
 " surrexissem et a vobis disciplinas, sicut meministis,  
 " accepissem, tantam inter hæc mentis dulcedinem  
 " mihi sensi infusam, quod die sequenti jugiter flere  
 " dulcissimum habui, sicut vos propriis oculis con-  
 " spexistis. Deinde nocte proxima, id est Parasæue,  
 " instante jam hora qua ad matutinas surgendum  
 " erat, placidum fui resolutus in somnum ; tunc vocem

" hanc, nescio<sup>1</sup> cujus<sup>2</sup> ministerio delatam, audivi, A.D. 1196.  
 " 'Surge,' inquit, 'et ingressus oratorium accede ad  
 " 'altare, quod in venerationem sancti Laurentii con-  
 " 'secratum est, et retro aram ipsam invenies crucem,  
 " 'quæ in die Parasceues a conventu adorari solet, quia,  
 " 'nisi hoc modo feceris, a te die crastino nil<sup>3</sup> poterit  
 " 'adimpleri; grandis enim tibi restat via, crucemque  
 " 'ipsam in memoriam Salvatoris devotus adorans  
 " 'cordis contriti et humiliati sacrificium offer, sciturus  
 " 'certissime acceptum Domino fore devotionis holo-  
 " 'caustum, cujus ibidem pinguedine donaberis afflu-  
 " 'enter.' Sic, discusso sopore, evigilavi, et cum  
 " fratribus, ut mihi videbatur, matutinas auditurus  
 " perrexi; quibus a conventu initiatis, seniore quen-  
 " dam vestibus albis indutum in vestibulo ecclesiæ  
 " obvium habui, qui unus ex illis erat a quo nocte  
 " præcedente disciplinas accepi, quem nutu solito ad  
 " dandam mihi disciplinam invitans capitulum ingre-  
 " dimur, et voti compos effectus ad oratorium redimus  
 " Tunc solus ad altare mihi in somnis vocatum pro-  
 " grediens calceamenta deposui, genibusque in pavi-  
 " mentum flexis ad locum tendi, quo inveniendam  
 " audieram crucem Salvatoris. Inveni eam, sicut mihi  
 " prædictum fuerat, et mox totus in lachrymas reso-  
 " lutus corporeque toto in terram prostratus ipsam  
 " devotissime adoravi; denuo genibus impressis ad  
 " vultum imaginis, oreque et oculis eam deosculans,  
 " in frontem mihi sentio guttas quasdam suaviter in-  
 " stillasse, et digitos admovens ex rubore sanguinem  
 " deprehendi; vidi præterea ex latere crucifixi ita  
 " cruorem emanare, ut solet vivi hominis vena phle-  
 " botomo incisa. Suscepi autem manu mea quot nescio  
 " guttas distillantes, et exinde oculos, aures et nares  
 " devote linivi; postremo, an in hoc peccaverim

---

<sup>1</sup> Wanting in C.

<sup>2</sup> Hujus in C.

<sup>3</sup> Non in D.

A.D. 1196. "ignorans, unam ejusdem sanguinis guttam ex nimio  
 — " cordis desiderio deglutivi, reliquum vero, quod pugillo  
 " receperam, servare decrevi."

*Ut idem monachus de corpore eductus primum locum  
 , pœnalem intraverit.*

"Cruce Dominica in hunc modum adorata, mox  
 " retro me sonitum audivi a sene venerando, a quo  
 " nocte præcedente disciplinas accepi. Tunc relictis  
 " juxta altare calceamentis et baculo, quo ordine  
 " nescio, in capitulum deveni, et post disciplinas sex  
 " vicibus, ut prius feceram, iteratas absolutionem per-  
 " cepi. Ipso itaque in sede abbatis denuo residente,  
 " prostravi me coram eo, et accedens ad me hoc  
 " solum dixit, 'Sequere me.' Cumque me erexisset  
 " ut starem, tenebat manum meam dextram tam  
 " firmiter quam leniter, habuimusque jugiter manus  
 " consertas omni tempore, quo sensibus corporis et  
 " mente absens fui. Incedebamus igitur per viam  
 " planam, recto orientis tramite, quousque pervenimus  
 " in regionem quandam nimis spatiosam, visu hor-  
 " rendam, palustri situ et luto in duritiem inspissato  
 " deformem. Erat ibi hominum sive animarum tanta  
 " multitudo, quantam nemo sufficeret æstimare, variis  
 " et inenarrabilibus exposita immanitatibus tormento-  
 " rum; ibi erat utriusque sexus, universæ conditionis,  
 " professionis et ordinis turba innumerabilis, omnium-  
 " que peccatorum admissores diversis addicti suppliciis  
 " pro varietate professionum et generibus delictorum.  
 " Vidi et audivi per lata illius campi spatia, cujus  
 " metas nulla circumspiceret acies oculorum, miserorum  
 " choros miserabiliter nimis turmatim collectos, et  
 " gregatim criminum parilitate et professionum simili-  
 " tudine constrictos, pariter<sup>1</sup> æstuarè et dissimiliter

<sup>1</sup> Pariliter in D.

" sub pœnarum cumulis ejulare. Quoscumque vidi <sup>A.D. 1196.</sup>  
 " pro quibuscumque peccatis affictos, liquido advertē-  
 " bam et peccati eorum genus et modum et satisfac-  
 " tionis qualitatem, qua, vel de reatu suo pœnitendo  
 " vel aliorum remediis, meruissent in illo pœnali exilio  
 " ad ingressum cœlestis patriæ præparari; universi  
 " itaque ibi constituti capessendæ salutis aliquando  
 " spem habebant. Quosdam vero graviora cernebam  
 " æquo animo<sup>1</sup> perferre supplicia, et, quasi de con-  
 " scientia sibi repositæ mercedis, horrenda quæ perfere-  
 " bant tormenta levia reputare. Nonnullus conspicie-  
 " bam de loco, quo torquebantur, subito exsilire et  
 " viam ad ulteriora tendentem ocius festinando car-  
 " pere, quos repente emergen[te]s<sup>2</sup> ab imis, flamma  
 " dirissime conflagratos, cum tridentibus et flagris et  
 " apparatu vario tormentorum accurrentes<sup>3</sup> denuo tor-  
 " tores<sup>4</sup> pœnis restituebant, in eos sævitiam omnem  
 " iterum exacturi; nihilominus sic cæsi, sic exusti,  
 " et cædendo præcordialiter discerpti, denuo evadentes,  
 " simili semper conditione ulterius tendebant de  
 " gravissimis ad tolerabilia<sup>5</sup> jugiter succedentes; qui-  
 " busdam vero de atrocissimis ad crudeliora non pro-  
 " fectis, sed miserabilis restabat defectis; et singuli  
 " [tractabantur] quidem secundum vel quod suis pristinis  
 " juvabantur vel impediabantur meritis, vel bonorum  
 " operum beneficiis amicorum. Infinitæ erant, quas  
 " vidi, species pœnarum; hii ad ignem torrebantur,  
 " hii in sartagine frigebantur, hos ungues ignei ad  
 " ossa usque et compagum dissolutionem radendo  
 " sulcabant, hos balnea pice et sulphure cum fetore  
 " horrifico et liquaminibus æris et plumbi cum aliis  
 " metallorum generibus excoquebant; istos monstruosi  
 " vermes venenosis rodebant dentibus, illos denso,

---

<sup>1</sup> Animus in D. and C.

<sup>2</sup> Emergen[s] in D. and C.

<sup>3</sup> Accurrentibus in D. and C.

<sup>4</sup> Tortoribus in D. and C.

<sup>5</sup> Tolerabiliora in C.

A.D. 1196. " ordine substrati sudēs flammatis aculeis recipiebant ;  
 " tortores unguibus distrahebant, flagellis horribilibus  
 " cædebant, diroque cruciatu laniabant. Multos pri-  
 " dem agnitos mihique in seculo familiares ibidem  
 " exitu vario afflictos conspexi, quorum alii episcopi,  
 " alii abbates fuerunt, alii in dignitatibus diversis ;  
 " quidam in clero, quidam in seculari foro, quidam in  
 " claustris ; quos omnes, quantum in vita priori mi-  
 " noribus fuerant honorum suffulti privilegiis, tantum  
 " illos pœnis levioribus visebam addictos. In veritate  
 " dico, quod speciali quadam acerbitate pœnarum præ  
 " cæteris universos angi perspiciebam, quod iudices  
 " aliorum vel prælatos nostra ætate noveram existi-  
 " tisse. Longum nimis esset, quid singuli meruissent  
 " quidve paterentur, licet hoc mihi de omnibus foret  
 " conspicuum exponere ; sed testis mihi Deus est,  
 " quod si quempiam, qui omnes caros meos et carna-  
 " liter amicos occidisset, talibus viderem suppliciis  
 " deputatam, millies, si fieri posset, pro ejus ereptione  
 " mortem susciperem temporalem, præcipue cum omnia  
 " quæ ibi pœnalia sunt, doloris et angustię, amaritu-  
 " dinis et miserię, modum excedant et mensuram."

*De secundo pœnali loco purgatorii et pœnarum  
 varietate.*

" Postquam<sup>1</sup> hoc pœnale transivimus exercitium,  
 " ego et dux meus ex transverso prætermeavimus  
 " illæsi, sicut et alios fines tormentales, quos inferius  
 " memorabo.<sup>2</sup> Post hunc igitur ad alterum devenimus  
 " locum tormentorum ; mons enim nubibus ipsis celsi-  
 " tudine sua pæne contiguus locum disternabat  
 " utrumque, cujus nos juga tam facili gressu transe-  
 " gimus quam veloci. Erat itaque sub remoto montis  
 " ipsius latere vallis profundissima et tenebrosa. al-  
 " trinsecus rupium jugis eminentissimis cincta, cujus

<sup>1</sup> Post in C.

| <sup>2</sup> Memorabor in D.

" latitudinem nullius superaret aspectus; ima vallis A.D. 1196.  
 " ipsius, fluvium an stagnum nescio, amplitudine tene-  
 " bat latissimum et teterrimo latice horrendum, quod  
 " nebulam<sup>1</sup> intolerabilis fœtoris jugiter exhalabat.  
 " Imminens vero ex hac parte stagni montis latus  
 " rogam ad ipsos usque cœli cardines emittebat; ex  
 " opposito autem promontorio collis ejusdem tanta  
 " frigoris immanitas, certatim nivis et grandinis sævi-  
 " entibus procellis, rigebat, ut illo eatenus algore nihil  
 " pœnalius me putaverim conspexisse. Tractus vallis  
 " præscriptæ et utriusque montis latera, quæ frigoris  
 " ignisque facies horrenda invaserat, ita multitudine<sup>2</sup>  
 " fervebant animarum, ut solent alvearia crebro<sup>3</sup> apum  
 " examine referta scatere; quibus hoc fuit generale  
 " supplicium, quod nunc in amne fœtido mergebantur;  
 " nunc inde erumpentes hinc obviis ignium voluminibus  
 " vorabantur, ac demum, fluctuantibus flammarum glo-  
 " bis, tanquam fornacis scintillæ in editum delatæ et  
 " in alterius ripæ profunda demissæ, turbinibus ven-  
 " torum, frigoribus nivium et asperitatibus grandinum  
 " reddebantur; inde præcipitatæ, et quasi violentia  
 " tempestatum refugientes, iterum fœtoribus fluvii et  
 " incremationibus debacchantis incendii trudebantur.  
 " Quosdam flammæ, quosdam frigora diutius crucia-  
 " bant, et quidam in amnis fœtore moram ducebant  
 " largiorem; alios, quasi oleas in prælo, ita mediis in  
 " flammis comprimi, quod dictu horribile est, et inde-  
 " sinenter arctari visebam. Omnium igitur, qui illic<sup>4</sup>  
 " cruciabantur, ista fuit conditio, quod ad perficiendam  
 " purgationis suæ plenitudinem omnia illius laci a  
 " principio usque ud finem permeare spatia cogeban-  
 " tur. Maxima tamem et multiformis erat ibi afflic-  
 " torum distinctio, quia istis levior et ocior indulge-  
 " batur, pro meritorum qualitate et collatorum sibi

<sup>1</sup> Nebula in D.<sup>2</sup> Multitudinem in D.; word  
wanting in C.<sup>3</sup> Crebra in D.<sup>4</sup> Illuc in D.

A.D. 1196. " post funera beneficiorum quantitate, transitus, et  
 " majoribus obnoxii reatibus et restrictioribus adjuti  
 " remediis supplicio graviori et diutino tenebantur;  
 " omnibus vero, quanto plus ad finem laci illius proxi-  
 " mabant, eo mitior cruciatus restabat, crudelissimam  
 " enim in principio constituti poenam sentiebant, licet  
 " omnes eam æqualiter pertulissent: levissima loci  
 " istius tormenta immaniora fuerunt quam loci supe-  
 " rius inspecti immanissima. In hoc vero poenali  
 " loco multo plures notorum meorum quam in purga-  
 " torio superiori reperi et agnovi, quibusdam tamen  
 " utrobique locutus sum, inter quos aurificem quen-  
 " dam mihi in seculo notissimum, conspiciens agnovi;  
 " ductor autem meus, cernens me illum diligentius in-  
 " tueri, sciscitatus est, si ipsum cognoscerem; audiens  
 " quoque illum mihi fuisse notissimum, ait, 'Si eum  
 " ' nosti, loquere illi.' Ipse vero intuens nos et recog-  
 " noscens ineffabili gestu lætitiæ applaudebat viro, qui  
 " me ducebat, expansisque manibus a crebra totius cor-  
 " poris inclinatione illum veneratus atque pro impensis  
 " sibi beneficiis salutans inexplicabiles gratiarum retulit  
 " actiones; cumque tandem frequenter repeteret, 'Sancte  
 " ' Nicolae, miserere mei,' quem vultum præferre  
 " angelicum multoties admirabar, nihil mihi dulcius  
 " eatenus audivi [quam] cum ductoris mei sancti  
 " Nicolai, quem semper amavi, colui et dilexi, nomen  
 " celebre recognovi, a quo salutem tam corporis quam  
 " animæ obtinere sperabam. Tunc a me requisitus  
 " aurifex, quomodo tam cito adeo immania pertran-  
 " sisset tormenta, quæ eum transmeasse conspexi, re-  
 " spondit, 'Tu,' inquit, 'carissime, et omnes noti mei  
 " ' in seculo, cui ante mortem meam temporalem, vidis-  
 " ' tis omnia fidei Christianæ denegata subsidia, velut  
 " ' confessionem et viaticum, pro perduto me habuistis,  
 " ' nescientes præsentis domini mei misericordiam, sanc-  
 " ' ti videlicet Nicolai, qui me infelicem servum suum  
 " ' non est passus meritam perpetuæ damnationis mor-  
 " ' tem subire; nam modo et semper, ex quo hiis poenis



“ ‘subactus fui, cum graviori angebar supplicio, ipsius A.D. 1196.  
 “ ‘sum visitatione clementissima recreatus. In aurificio  
 “ ‘autem, quo fraudes in seculo nonnunquam commisi,  
 “ ‘nunc atrocissime luo, dum frequenter in cumulum  
 “ ‘nummorum ardentium præcipitatus intolerabiliter  
 “ ‘exuror, ipsosque denarios ignitos ore vorare hianti  
 “ ‘frequenter compellor, quæ omnia interiora mea com-  
 “ ‘burunt; sæpius insuper eos numerare coarctor, ex  
 “ ‘quibus digitos manusque pessundatos me habere  
 “ ‘condoleo et combustos.’ Inquisivi denique ab eo,  
 “ ‘si homines quovis remedio tam horrendum possent  
 “ ‘evitare supplicium; ad quod ille suspirans ait, ‘Si  
 “ ‘quotidie scriberent in frontibus et circa locum  
 “ ‘cordis digito “Jesus Nazarenus rex Judæorum,”  
 “ ‘fideles proculdubio conservarentur immunes, et post  
 “ ‘mortem loca ipsa decore clarissimo coruscarent.’  
 “ ‘Hæc et alia multa ab isto audivi; sed ad alia scri-  
 “ ‘benda festinantes, quæ modo dicta sunt, sufficiant.”

*De tertio loco pœnali et multiplici varietate  
tormentorum.*

“ Relinquentes, ego scilicet et dux meus, jam dictam  
 “ vere lachrymarum vallem, quam secundo adivimus  
 “ loco, pervenimus ad campum maximum in demerso  
 “ quodam terræ gremio situm, qui<sup>1</sup> ab universis<sup>2</sup> præ-  
 “ ter tortores dæmones et animas tortas<sup>3</sup> sequestratus  
 “ videbatur accessu. Tegebat autem superficiem illius  
 “ chaos maximum quoddam et horrificum, quo per-  
 “ mixti rotabantur fumus sulphureus et intolerabilis  
 “ nebula foetoris cum flamma picea nigredine pernixta,  
 “ quæ montium instar hinc inde consurgens per inane  
 “ illud horribiliter spargebatur. Planities loci illius  
 “ multitudine vermium constrata scatebat, ut junco  
 “ solent domorum areæ operiri; et hii, super omnem

<sup>1</sup> Et in D.

<sup>2</sup> Universorum in D.

U 23058.

<sup>3</sup> Animabus tortis in D.

R

A.D. 1196. " æstimationem horridi, deformes et monstrosi, terribili  
 " oris rictu et naribus ignem spirantes execrabilem tur-  
 " mas miserorum voracitate inextricabili lacerabant; quos  
 " jam assumptos dæmones ubique discurrentes, insanien-  
 " tium more in miseros sævientes, nunc eos frustatim  
 " ignigeris truncabant ferramentis, nunc omnem carnem  
 " ad ossa funditus abralebant, nunc igni injectos, ut  
 " solent metalla, liquefaciebant eos et in modum ignis  
 " ardentis eos reddebant. Parum est, Dominum testor<sup>1</sup>  
 " immo nihil quod refero de pœnis loci illius; novit  
 " enim Deus quod, in brevissimo temporis spatio centum  
 " vel amplius omnimodis pœnarum diversitatibus annul-  
 " latos et mox restitutos, iterumque in nihilum pœne  
 " redactos ac denuo redintegratos, eos intuebar, quos eo  
 " loco vita perdita cruciari cogebat, quarum vicissitudi-  
 " num nullus erat finis, non meta aliqua, nec terminus  
 " ullus. Ignis enim illius tam edax fuit incendium, ut  
 " quasi tepere crederes, in comparatione<sup>2</sup> illius, quicquid  
 " comburere solet vel fervere; vermes autem dirupti  
 " et mortui ac in frusta comminuti sub infelicibus in  
 " congeriem glomerabantur, qui in putredinis illius  
 " foetore tabis tam execrandæ adeo universa reple-  
 " bant,<sup>3</sup> ut foetulentia illa omnem prædictarum pœna-  
 " rum excederet cruciatum. Restat adhuc quod hiis  
 " omnibus magis exosum, grave pariter ac verecun-  
 " dum, damnatici loci illius tolerare cogebantur; omnes  
 " enim, qui ibi puniebantur, sceleris, quod nec nomi-  
 " nari licet a Christiano, sed nec etiam ab ethnico,  
 " quolibet vel pagano, in seculo fuerant patratores.<sup>4</sup>  
 " Hos itaque monstra quædam ingentia, igneam quali-  
 " tatem præferentia, visu autem super omnia quæ  
 " excogitari valent horrida et horrende terribilia, jurgi-  
 " ter impetebant, et, quamvis renitentes ac multum  
 " refugientes, sibi genere abusionis damnabili permis-

<sup>1</sup> Wanting in C.<sup>2</sup> Corporatione in C.<sup>3</sup> Replebat in D.<sup>4</sup> Paccatores in D.

"ceri cogebantur; ita enim inter<sup>1</sup> nefandos complexus A.D. 1196.  
 "præ nimio dolore palpitabant, rugiebant, et ululu-  
 "bant, et deinde velut exanimati et in mortem defi-  
 "cientes collabebantur, excipiendi mox cruciatibus in-  
 "novatis. Horreo referens et sceleris obscenitate in  
 "memetipso supra modum confundor, dum mihi  
 "eatenus inauditum fuerat et inopinabile utrumque  
 "sexum talibus immunditiis fuisse aliquatenus deprava-  
 "vatum, et, proh dolor! talium caterva tam innume-  
 "rabilis quam miserrime miserabilis<sup>2</sup> reperiebatur ibi-  
 "dem. Personas multorum illo in loco nec aspexi nec  
 "agnovi, quia tormentorum et obscenitatis enormitas  
 "ac fœtoris et immanitas nimium mihi ingerebat  
 "horrorem; unde mihi supra modum molestum fuit,  
 "vel ad breve momentum ibi consistere, vel quæ  
 "ibidem fiebant intueri. Denique inter lamentabiles  
 "querimoniarum ululatus, dum clamaret unusquisque  
 "eorum, 'Væ mihi! væ mihi! quare peccavi, quare  
 "'pœnitendo peccata non correxi?' adeo illis suppli-  
 "ciorum dolores ingeminabant singuli, ut plangentium  
 "clamorem vociferatione continua putares in toto  
 "mundo audiri."

*De quodam legista et ejus cruciatu.*

"Verum licet, quantum potui, quæ ibi fiebant  
 "refugerem intueri, unius tamen clerici, quem olim  
 "agnoveram, non valebam<sup>3</sup> evitare conspectum; hic  
 "suo tempore eorum, quos legistas et decretistas  
 "appellant, peritissimus habebatur, unde in redditibus  
 "ecclesiarum ampliatus cum affluentibus indies opibus  
 "abundavit. Hunc in pœnis execrabilibus reperiens  
 "multum calamitatis pondus, quo premebatur, mira-

<sup>1</sup> Wanting in C.

<sup>2</sup> The three preceding words wanting in C.

<sup>3</sup> Valeam in D.

A.D. 1196. " bar; et cum inquirerem, utrum misericordiam se  
 " aliquando consecuturum speraret, respondit, 'Væ,  
 " inquit, 'væ, væ mihi! scio, scio, quod citra diem  
 " ' iudicii omnino misericordiam non merebor; an  
 " ' autem vel tunc, incertum habeo, quia, semper ex  
 " ' quo in hæc mala devolutus sum, deterioratur pœna  
 " ' mea, trahens me de pessimis ad pejora.' Cui ego;  
 " ' Et quare in extremis non es confessus peccata  
 " ' tua, nec egisti pœnitentiam?' Et ille; 'Quia re-  
 " ' cuperandæ sanitatis spem habebam, et, fallente  
 " ' diabolo, erubui tam turpia confiteri facinora, ne  
 " ' despectior haberer inter eos, in quibus gloriosus  
 " ' et male splendidus apparebam. Levia tamen<sup>1</sup>  
 " ' quæque peccata confessus sum presbytero, et inter-  
 " ' roganti, an aliorum essem conscius peccatorum,  
 " ' præcepi ut tunc abiret, ut iterum, si quid memoriæ  
 " ' occurreret, sibi denuo intimarem; quo recedente  
 " ' et non longius progresso, incipiebam mori; ille a  
 " ' ministris meis reaccersitus jam me invenit hominem  
 " ' exuisse. Nihil igitur de mille generibus pœnarum,  
 " ' quas omni die perfero, sic me excruciat, quam  
 " ' erroris mei, quo tenebar in seculo, nefanda repræ-  
 " ' sentatio, quia cogor actualiter turpitudini antiquæ  
 " ' passionis deservire; præter enim supplicii indici-  
 " ' bilis vehementiam, confusione intolerabilius premor,  
 " ' dum in conspectu omnium de tantis flagitiis ex-  
 " ' secrabilis existo.' In momento autem, dum hæc  
 " ' diceret, innumeris eum modis excruciaci conspexi, et  
 " ' in ipsis cruciatibus velut in nihilum redigi, et instar  
 " ' plumbi quasi in liquidum per vim caloris dissolvi.  
 " ' Sanctum etiam, qui adstabat, Nicolaum sciscitatus  
 " ' sum, si possent talia tormenta aliquo remedii genere  
 " ' relevari; et ille, 'Cum venerit,' inquit, 'dies iudicii,  
 " ' tunc Christi fiet voluntas; ipse enim novit corda  
 " ' omnium solus, et tunc quod justum viderit retri-

---

<sup>1</sup> Enim in C.

“ ‘ buet universis.’ Cum autem postea reversus sum ad A.D. 1196.  
 “ corpus, venit ad me sacerdos ille, cui levia tantum  
 “ confessus fuerat; Dominum testans coram multis,  
 “ verissima esse quæ dixi, cum nullus præter ipsum  
 “ ista cognoverit. De pœnis autem multorum, quas  
 “ vidi, hic prætermitto inserere, timens ne, si piura  
 “ ponerem, lectoribus ad alia tendens fastidium gener-  
 “ rarem; hæc enim pauca de multis breviter excerpta  
 “ sufficiant.”

*De visione, quam idem monachus vidit, de æterna  
 gloria beatorum.*

“ Exsecutis pro parte hiis, quæ de pœnis et locis  
 “ penalibus vidimus miserorum, restat nunc ut de  
 “ solatiis quiescentium et æterna gloria beatorum,  
 “ quæ fide oculata perspeximus, proferamus. Post-  
 “ quam diutius per diversorum genera suppliciorum  
 “ incedentes, ut supra memoravimus, varios miserorum  
 “ labores inspeximus, nobis ad interiora tendentibus  
 “ lumen cœpit paulatim gratissimum apparere; hinc  
 “ odoris suavissimi fragrantia, inde campi multimoda  
 “ florum jucunditate vernantis amœnitas, incredibilem  
 “ nobis præstitit voluptatem. In hoc campo hominum  
 “ sive animarum millia reperimus infinita, post ex-  
 “ cursa supplicia [in] felici jocundantium quiete lætan-  
 “ tes. Quos autem in prima illius campi margine  
 “ invenimus albis quidem sed non satis nitentibus  
 “ utebantur vestibus; nigredinis tamen aut cujuslibet  
 “ maculæ nihil eis videbatur inesse, licet minoris  
 “ gratia candoris pollerent. Inter quos plerosque mihi  
 “ dudum notos conspexi; nam abbatissam quandam  
 “ de pœnis nuper egressam ibidem recognovi, quæ  
 “ vestibus immaculatis, parum tamen candidis, uteba-  
 “ tur; priorem quandam ibi vidi et agnovi, cum spi-  
 “ ritibus justorum beata quiete pœnis omnibus ex-  
 “ emptum, certa expectatione divinæ visionis, qua

A.D. 1196. " erat remunerandus, incomparabiliter lætiores. In  
 " eisdem locis quendam vidi sacerdotem, qui cum bonæ  
 " vitæ exemplis ita gratiam prædicationis habebat  
 " conjunctam, ut non solum in parochiis quas regebat,  
 " sed et populum longe positum a criminibus morti-  
 " feris revocabat, atque, Deo cooperante, aliis per eum  
 " multis ac sibi inenarrabilis gloria restabat."

*De secundo loco quietis et gloria ibidem quiescentium.*

" Hinc autem ad interiora prædictæ amœnitatis loca  
 " accedentibus nobis major semper et lucis claritas, et  
 " odoris suavitas, candorque ibidem degentium et  
 " jucunditas arridebat. Omnes vero, quos locus iste  
 " tenet, supernæ Hierusalem cives sunt adscripti, qui  
 " pœnas universas tam facile transierant, prout vitiis  
 " mundanis minus fuerant irretiti. Et quæ jam pro-  
 " gressi vidimus, non lingua retexere, non digne valet  
 " humana infirmitas explicare; quis enim digne verbis  
 " exponat, qualiter in medio spirituum beatorum, quo-  
 " rum millia infinita ibi circumstabant, velut præsen-  
 " tialiter in hac sacra solemnitate passionis Dominicæ,  
 " pius humani generis Redemptor, tanquam in crucis  
 " stipite appensus, flagellis toto corpore cruentus,  
 " sputis dehonestatus, spinis coronatus, clavis confos-  
 " sus, lancea perforatus, per manus et pedes rivi pur-  
 " purei coloris defluebant, ex sacro latere ejus sanguis  
 " stillabat et aqua? Hinc mater, non jam tristis et  
 " anxiosa sed gaudens et vultu serenissimo, tanto tam-  
 " que ineffabili adstabat spectaculo. Jam vero quis  
 " unquam mente conjiciat, quanta cum alacritate ad  
 " hoc spectaculum undique concurrebatur, quæ intuen-  
 " tium erat devotio, quis adorantium concursus, quantæ  
 " pro tantis beneficiis gratiarum actiones? Hæc mihi  
 " altius recolecti dolor nescio an devotio animum dis-  
 " trahebant infelicem, stupor et admiratio me mente<sup>1</sup>

<sup>1</sup> Imminet in D.

“ quodammodo alienum reddunt et absentem. Quid A.D. 1196.  
 “ vero devotionis, quod his contumeliis diabolus vin-  
 “ citur, Tartarus debellatur, arma ejus diripiuntur et  
 “ spolia, homo perditus reparatur, et præda dæmonum  
 “ inferni erepta ergastulo in cælo choris inseritur an-  
 “ gelorum? Multa, quæ hic vidi et audivi, referre  
 “ pertimesco, eo quod insolita et multis incredibilia  
 “ videantur. Denique, post moram non modicam in  
 “ tam beata visione expletam, visio ipsa repente dis-  
 “ paruit; et loco, ubi gloria tanti sacramenti steterat,  
 “ adorato, singuli ad sedes proprias cum lætitia redi-  
 “ erunt, et ego ducem meum inter mansiones beatorum  
 “ plenus admiratione ad interiora sequebar; hic erat  
 “ consistentium candor, hic odoris fragrantia, hic erat<sup>2</sup>  
 “ inæstimabilis laudes Deo canentium harmonia.”

*De tertio amcenitatis loco et visione Dei.*

“ Multo inter hæc jam emenso viæ spatio et cres-  
 “ cente ante nos locorum jucunditate, vidi eminus quasi  
 “ murum crystallinum, cujus altitudo pervideri non  
 “ potuit nec meta longitudinis comprehendere, quo jam  
 “ appropinquantibus nobis, portam vidi introrsus luci-  
 “ dissima claritate micantem, apertumque ejus vidi  
 “ aditum, sed crucis unius obice signatum; accedebat  
 “ illuc multitudo eorum catervatim, qui viciniore  
 “ erant ingredi exoptantes; crux vero in medio portæ  
 “ sita, nunc se attollens ad superiora, latum adventan-  
 “ tibus pandebat ingressum, ima denuo petens intrare  
 “ cupientibus negabat incesum. Quam gaudenter in-  
 “ grediebantur admissi, vel quam reverenter subsiste-  
 “ bant exclusi, crucis elevationem iterum postulantem,  
 “ exprimere non sufficio. Substitit hic mecum ali-  
 “ quamdiu ductor meus, sed tandem accedentibus crux  
 “ erigitur, iter ingressuris patet; socius libere ingre-

---

<sup>1</sup> Wanting in C.

A.D. 1196. " ditur, subsequebar et ego, verum crux ex improvise  
 " descendit super manus nostras, meque a ducis mei  
 " consecratu arcebat; quod cernens ego ac nimium  
 " pertimescens ista ductoris mei monita audivi, 'Ne  
 " 'paveas,' inquit, 'fidem tantum habeto in Dominum  
 " 'et securus ingredere;' et, redeunte fiducia, crux  
 " ingressum concessit et intravi. Quantus vero fulgor  
 " inæstimabilis claritatis, quantaque luminis gratia  
 " interius universa repleverit, a me nemo requirat;  
 " hoc enim [non solum] verbis exprimere, sed nec  
 " mente sufficio recordari. Splendor ille blandus et  
 " coruscus sic intuentem in se rapiebat, sic nitoris  
 " immensitate super se efferebat, ut nihil in ejus com-  
 " paratione esse crederem, quicquid me contigit eatenus  
 " inspexisse; nam splendor ille, quamvis inæstimabilis  
 " esset, intuentis tamen non reverberabat, sed potius  
 " acuebat obtutum; inferius autem intuenti nihil aliud  
 " occurrebat nisi lux et murus, ut dictum est, crystal-  
 " linus. Erant quoque ab imo usque ad<sup>1</sup> summitatem  
 " ejus gradus mira pulchritudine dispositi, per quos  
 " ascendebant lætantium agmina mox ut erant per  
 " januam intromissi; nullus fuit ascendentium labor,  
 " difficultas nulla, nec qualibet in ascensu mora, quia  
 " semper superior quam inferior gradus alacrius scan-  
 " debatur. Ad altiora vero oculos dirigens conspexi  
 " in throno gloriæ residentem Dominum et Salvatorem  
 " nostrum in specie humana, et in circuitu ascendentes  
 " et cum gratiarum actione adorantes eum, ut mihi  
 " videbatur, quingentorum vel septingentorum spiritus  
 " beatorum, qui nuper itinere, quo prædictum est, ad  
 " locum throni conscenderant. Mihi autem certissime  
 " constat, quod locus ille, quem videbam, non erat  
 " cælum cælorum, ubi videbitur Deus deorum in Sion,  
 " sicuti est in majestate sua; sed inde, remota jam  
 " omni difficultate et dilatione, ascenditur ad cælum

---

<sup>1</sup> Wanting in C.



“ illud æternæ Deitatis visione beatum. In hac tamen A.D. 1196.  
 “ visione tantum lætitiæ et gaudii, tantum jocunditatis  
 “ animo concepî et exultationis, ut quicquid humana  
 “ explicari potest industria minus sit ad exprimendum  
 “ cordis mei gaudium, quod ibidem percepi.”

*Ut idem monachus ad corpus reductus fuerit.*

“ His igitur et aliis innumeris visis et auditis, sanc-  
 “ tus Nicolaus mihi breviter est locutus; ‘Ecce,’ inquit,  
 “ ‘fili, jam pro parte, ut petisti, seculi statum, pericula  
 “ errantium, supplicia malorum, purgatorum quietem,  
 “ gaudia eorum, qui jam ad cæli curiam perveniunt,  
 “ passionis Dominicæ mysteria, ut tibi fuit possibile  
 “ conspexisti. Jam tibi ad tuas seculi redeundum est  
 “ pugnas; percipies autem, si perseveraveris<sup>1</sup> in timore  
 “ Domini, quæ oculis tuis vidisti, et multo his majora,  
 “ si corpore immaculato et corde innocenti ultimæ  
 “ vocationis tuæ diem studueris præstolari.’ Dum ad-  
 “ huc mecum talia loqueretur, subito audire cœpi  
 “ classicum miræ suavitatis, quasi totius mundi cam-  
 “ panæ, vel quicquid sonorum est, una simul pulsatione  
 “ concuteretur. In hoc classico mirabilis suavitas et  
 “ varia melodiarum permixtio, magnitudine an dulcedine  
 “ nescio plus stupenda fuit. Ad tam insolitum autem  
 “ auditum sollicitè intentus ac nimium animo suspen-  
 “ sus, mox ut desiit audiri, a ducis mei comitatu  
 “ destitutus fui; viribusque corporis redeuntibus et  
 “ oculis in usum videndi patefactis, pristinae ægritu-  
 “ dinis molestia funditus deleta ac debilitate penitus  
 “ exclusa, validus et fortis, licet mœstissimus et anxius,  
 “ coram vobis resedi. Redditus itaque mihi, cum a  
 “ fratribus audivi jam Paschalem adesse festivitatem,  
 “ tunc certius animadverti classicum illud hoc innuisse,  
 “ quod etiam apud cives cælestes non sine ineffabili

---

<sup>1</sup> Perseveravis in C.

A.D. 1196. "jocunditate atque festiva celebritate recolitur salutis  
 — "humanæ mysterium, quod in solemnitate Paschali  
 "operatus est in medio terræ, qui eodem momento  
 "olim cælum et terram ex nihilo creavit Jesus Chris-  
 "tus Dominus noster, cui est cum Patre cœterno et  
 "Spiritu Sancto honor et imperium per infinita secula  
 "seculorum. Amen."

*De morte Henrici, regis Hierosolymitani.*

Eodem tempore Henricus de Campana, rex<sup>1</sup> Hierosolymitanus, qui regi Guidoni successerat, de fenestra eminentiori cujusdam cœnaculi in plateæ pavimentum corruens, fractis cervicibus, exspiravit; erat autem nepos regum Francorum et Anglorum, Philippi videlicet et Richardi, ex filia Lodowici, regis Francorum, patris Philippi, quem susceperat ex Alienor regina sua, quam etiam rex Anglorum Henricus, pater regis Ricardi, postmodum duxit in uxorem. Defuncto itaque rege jam dicto, status terræ sanctæ necessario regem exigebat; unde unanimi consensu cleri et populi electus est vir quidam illustris de regno Francorum, Johannes de Breines, in re militari experientissimus, qui, et in regem est coronatus, sub cujus industria regni negotia sunt plurimum prosperata.

*Rex Richardus nuntios misit Romam contra archiepiscopum Rothomagensem.*

A.D. 1197. Anno gratiæ MCXCVII. rex Anglorum Richardus fuit  
 — in Normannia apud Burum nimia confusus angustia, eo quod archiepiscopus Rothomagensis in Normanniam sententiam tulerat interdicti; jacebant enim corpora defunctorum insepulta per plateas civitatum et vicos, quæ viventibus fetorem non minimum incusserunt.

---

<sup>1</sup> Wanting in C.

Misit ergo rex Willelmum, Eliensem episcopum et A.D. 1197. cancellarium suum, episcoposque Dunelmensem et Lixoniensem ad curiam Romanam, ut causam suam defenderent contra archiepiscopum memoratum; sed Willelmus episcopus Eliensis, Romam tendens apud Pictaviam diem clausit extremum; sepultus est autem in abbatia de Pinu Cisterciensis ordinis quarto kalendas Februarii. Socii autem ejus, episcopi videlicet supradicti, iter propositum expedientes Romam pervenerunt. Convenientibus autem partibus in præsentia domini papæ, illisque diligenter auditis, post diutinam deliberationem domini papa<sup>1</sup> et cardinales<sup>2</sup> attendentes damna et importunitates, quæ regi in Normannia possent accidere nisi locus ille Andeliaci firmaretur, dederunt archiepiscopo consilium, ut cum domino suo rege amicabiliter componeret, et ab eo reciperet sufficientem ablatorum recompensationem juxta proborum æstimationem virorum; asserebant enim, bene licere cuilibet potenti, et consequenter regi Anglorum, terræ suæ infirmiora munire, ne perinde sibi damnum eveniat aut gravamen. Sub hac autem pacis forma nuntii tam regis quam archiepiscopi revertentes impetraverunt interdicti sententiam relaxari.

*Forma pacis factæ inter regem Richardum et archiepiscopum Rothomagensem.*

Forma autem pacis et concordie inter dominum regem Angliæ et ecclesiam Rothomagensem et archiepiscopum sæpe dictum in hunc modum se habet; “ Richardus, Dei gratia rex Angliæ, et cætera. Cum “ sacrosancta ecclesia sponsa sit Regis æterni et unica “ ipsius dilecta, per quem reges regnant et principes “ gubernacula possident, tanto ampliorem ei volumus “ devotionem et reverentiam exhibere quanto certius

---

<sup>1</sup> Papæ in D.

| <sup>2</sup> Cardinalium in D.

A.D. 1197. " non regiam tantum sed omnem a Domino Deo esse  
 " credimus potestatem; unde sicut venerabilis ecclesia  
 " Rothomagensis, quæ inter universas terrarum nostra-  
 " rum plurima celebritate dignoscitur eminere, [pro  
 " rerum necessitate vel temporum nostris ducit utili-  
 " tatibus opportuna diligentia consulendum;]<sup>1</sup> sic nos  
 " ejusdem matris nostræ commodis et augmentis digna  
 " compensationem digne duximus respondere. Sane  
 " villa de Andeli et quibusdam aliis adjacentibus locis,  
 " quæ erant Rothomagensis ecclesiæ, minus sufficienter  
 " firmatis, inimicis nostris in terram nostram Norman-  
 " niæ per eadem loca patebat ingressus, per quæ in-  
 " cendiis et rapinis necnon et aliis hostilitatis sævitiis  
 " in eandem terram nonnunquam licentius grassabantur.  
 " Quocirca venerabili patri nostro Waltero, archiepi-  
 " scopo et capitulo Rothomagensi, debitum habentibus  
 " ad nostra et prædictæ terræ nostræ damna respec-  
 " tum, facta est permutatio inter ecclesiam Rothoma-  
 " gensem et archiepiscopum Walterum ex una parte,  
 " et nos ex altera, de manerio de Andeli in hac  
 " forma; quod, videlicet, idem archiepiscopus de con-  
 " scientia et voluntate domini papæ Cælestini tertii,  
 " et de assensu capituli Rothomagensis ecclesiæ, con-  
 " cessit et in perpetuum quietum clamavit nobis et  
 " hæredibus nostris prædictum manerium de Andeli,  
 " cum novo castello de Rupe et cum foresta, et cum  
 " omnibus aliis pertinentiis et libertatibus suis, excep-  
 " tis ecclesiis et præbendis militum, et excepto manerio  
 " de Fraxinis cum pertinentiis suis, quæ omnia idem  
 " archiepiscopus ecclesiæ Rothomagensi et sibi et suis  
 " successoribus<sup>2</sup> retinuit cum omnibus libertatibus et  
 " liberis consuetudinibus suis et cum omni integritate  
 " sua in perpetuum. In escambium autem manerii  
 " prædicti de Andeli cum pertinentiis, concessimus et

<sup>1</sup> The words within brackets are  
 supplied from Ralph de Diceto

(*Imagines Historiarum*, Ed. Stubbs,  
 vol. ii., p. 154).

<sup>2</sup> Wanting in C.

" in perpetuum quieta clamavimus ecclesie Rothoma- A.D. 1197.  
 " gensi, et prædicto archiepiscopo et successoribus suis,  
 " omnia molendina, quæ nos habuimus apud Rotho-  
 " magum quando hæc commutatio facta est, integre  
 " cum omni sequela et molitura sua, sine aliquo reti-  
 " nimento eorum, quæ ad molendinum pertinent vel ad  
 " molituram, et cum omnibus libertatibus et liberis  
 " consuetudinibus quas solent et debent habere; nec  
 " alicui licebit ibidem molendinum facere ad detri-  
 " mentum molendinorum prædictorum. Concessimus  
 " eis insuper villam de Diepe et villam de Buteiles  
 " cum omnibus pertinentiis et libertatibus, cum  
 " manerio de Loures et foresta de Haliermunt, cum  
 " feris et omnibus aliis pertinentiis et libertatibus  
 " suis. Hæc autem omnia in escambium habebunt  
 " prædicti manerii de Andeli ecclesia Rothomagensis  
 " et archiepiscopus prædictus et successores sui in  
 " perpetuum; hiis testibus. Factum est autem hoc  
 " escambium apud Rothomagum anno gratiæ millesimo  
 " centesimo nonagesimo septimo et anno regni nostri  
 " octavo."

*Rex Richardus corpus sancti Walerici in Norman-  
niam transtulit, et naves ibi multas combussit.*

Eodem tempore suggestum est regi Richardo, quod  
 naves ex Anglia venire consueverant apud sanctum  
 Walericum ad deferendum victualia regi Francorum et  
 aliis inimicis suis; facta itaque illuc equitatione,  
 villam combussit, monachos destruxit, feretrum sancti  
 Walerici cum reliquiis in Normanniam transvexit. In  
 portu autem illo naves ex Anglia invenit frumento et  
 victualibus onustas, quarum nautas suspendi præ-  
 cepit, navibusque combustis, victualia suis militibus  
 erogavit.

*Ut rex Richardus comitem Flandrensem sibi  
obligavit.*

A.D. 1197. Per idem tempus rex Richardus, datis muneribus, omnes de regno Francorum potentiores in sui favorem alexit; Baldewino, comiti Flandriæ, pro auxilio quinque millia marcas argenti contulit, et ipse regi obsides tradidit, quod sine ipso non componeret cum rege Francorum. Campani cum Britonibus, relicto rege Francorum, regi Richardo adhæserunt. Willelmus Crepin, constabularius de Augi, regi Anglorum vi compulsus idem<sup>1</sup> castellum reddidit, quod rex confestim munivit; et rex Francorum, exercitu congregato, illud obsedit. Et, dum hæc fierent, rex Anglorum in Alverniam hostiliter progrediens decem castella regis Francorum et [magnam multitudinem] hominum suorum cepit; sed, antequam rex Anglorum rediret in Normanniam, rex Francorum cepit Dangu castellum, concessis militibus, qui in ejus præsidio erant, pro quinquaginta marcis argenti, vita et membris cum equis et armis, et rex castellum retinuit illudque firmavit.

*Ut rex Francorum in Flandria in arcto positus  
[fuerit].*

Interea comes Flandrensis Baldewinus<sup>2</sup> castellum Arras obsidione vallavit; quo audito, rex Francorum illuc venit cum exercitu copioso; in cujus adventu comes, obsidione relicta, abiit in terram suam, insequente illum rege Francorum. Cum autem rex longius processisset inter paludes et recessus maris, comes Flandrensis fecit confringere ante et post eum pontes et aquæductus aperire, ita quidem quod neque procedere neque redire potuit, nec ad eum poterant victualia

<sup>1</sup> Eundem in D.

<sup>2</sup> Paldewinus in D.; word wanting in C.

deferri. Tunc rex in arcto positus comiti significavit, <sup>A.D. 1197.</sup> quod ea intentione illuc venerat, ut cum eo vel amabiliter componeret vel ipsum a fidelitate regis Anglorum revocaret; nuntiavit insuper ei, quod ligius homo ejus erat, unde nec debuit nec decuit illum coronam suam impugnare; sed tandem, antequam [ei] comes licentiam concederet abeundi, juravit rex, quod tam ipsi comiti quam regi Anglorum omnia, quæ per guerram occupaverat, castella aliaque jura sua eis redderet, et ad hujus pacti executionem statuit diem, ut tam ipse quam rex Anglorum venirent ad colloquium inter Wailum et Andeliacum feria quarta post exaltationem sanctæ Crucis; et sic liberatus a captione comitis idem rex ad propria remeavit. Reversus autem Parisius consilium habuit a suis ut a pacto resili- ret; non enim ad observationem juramenti, quod de necessitate et quasi coactus fecerat, exstitit obligatus.

*De quibusdam constitutionibus a rege Richardo  
utiliter provis.*

Eodem anno constitutum est a rege Richardo, ad instantiam Huberti, Cantuariensis archiepiscopi et Angliæ justiciarii, in die sancti Eadmundi regis et martyris apud Westmonasterium, ut omnes mensuræ per totam Angliam in bladis et leguminibus, tam in civitatibus quam extra, ejusdem sint quantitatis, et maxime mensura cæliæ<sup>1</sup> vini et ponderum mercatorum. Constitutum est etiam, ut lanei panni, ubicumque in regno fiant, duas ulnas habeant latitudinis infra lisuras, et sint in medio et in lateribus ejusdem bonitatis. Statutum est insuper, ne quis mercator præterdat seldæ suæ rubeos vel nigros pannos, vel aliquid aliud unde visus intuentium decipiatur ad pannum bonum eligendum. Exiit præterea edictum, quod nulla tinc-

---

<sup>1</sup> Celerie in D.

A.D. 1197. tura nisi solummodo nigra fiat alicubi in regno, nisi  
 — in capitalibus civitatibus aut burgis; et, si quis in  
 aliquo istorum transgressor convictus fuerit, corpus  
 illius capiatur et in carcerem detrudatur, et omnia  
 quæ ipsius sunt ad fisci commodum saisiantur.

Eodem anno Philippus, clericus regis, natione Pic-  
 taviensis, episcopus Dunelmensis est electus, [et] a  
 papa Cælestino apud Lateranum munus consecrationis  
 suscepit.

*Ut Otho in regem Alemannorum coronatus fuerit.*

A.D. 1198. Anno gratiæ MCXCVIII, qui est annus regni regis  
 — Anglorum Richardi nonus, procurante eodem rege,  
 Otho, nepos ejus, Aquisgrani in regem Alemanniæ  
 sive Germaniæ coronatus est; qui statim filiam ducis  
 Lovaniæ uxorem ducens in die coronationis suæ sedit  
 simul cum ea in cathedra ad mensam, sed non tunc  
 coronata.

Eodem anno, defuncto papa Cælestino, Innocentius  
 tertius<sup>1</sup> successit, in die cathedræ sancti Petri papa  
 consecratus et in Petri cathedra collocatus; cujus  
 favore exortum est in Italia novum genus prædica-  
 torum, qui Jacobitæ voluerunt appellari, eo quod vitam  
 cœperunt apostolicam imitari. Isti in victu et vestitu  
 satis tenui, aurum et argentum vel aliud quid pro-  
 prium non possidentes, ibant per civitates et vicos et  
 castella verbum evangelii prædicantes. Multiplicati  
 sunt autem in brevi per orbem universum propter  
 spontaneam paupertatem, habitantes deni et septeni  
 simul in urbibus capitalibus, nihil de crastino cogi-  
 tantes nec quicquam usque mane retinentes; de evan-  
 gelio quoque juxta regulam apostolicam vivebant, et,  
 si quid sibi in mensa ex eleemosynarum largitione  
 superabundavit, hoc continuo pauperibus erogabant;

---

<sup>1</sup> Wanting in C.



ibant autem calceati in præparatione evangelii, vestiti <sup>A.D. 1198.</sup>  
dormiebant, matris prostratu utebantur, saxeis cervi-  
calibus capitibus subnixis.

*De admiranda pœnitentia Hugonis, Cestrensis  
episcopi.*

Eodem anno Hugo de Nunant, Conventrensis sive Cestrensis episcopus, Romam tendens in Normannia cepit graviter infirmari; cumque, ingravescente ægritudine, mortem sibi vicinam cognovisset, fecit accersiri viros religiosos totius Normanniæ quos habere poterat abbates et priores, et, audientibus cunctis, voce clamosa confessus est pure et maxima cordis contritione ac lachrymarum jugiter effusione omnia peccata, scelera et enormitates omnes, quæ suæ memoriæ occurrebant. Tanta autem contritus erat et commotus pœnitentia, quod omnes adstantes et se intuentes ad lachrymas et singultus commovit; denique flens et ejulans, manibusque consertis, prælatos omnes in virtute Dei adjurabat, quatenus sibi pœnitenti super tot et tantis flagitiorum excessibus pœnam infligerent et satisfactionem condignam. Audientes autem viri religiosi, qui lectulo adstabant, in episcopo vitam adeo flagitiosam simul et admirabilem cordis contritionem, ad invicem sese contuentes obmutuerunt universi, nescientes quid darent consilium vel quid tam subito responderent; quod cernens episcopus dixit eis, "Scio," inquit, "scio, quia, tantis enormitatibus auditis, hæsitatis inter vos, quid mihi pro pœnitentia infigatis; sed obsecro vos in nomine Jesu Christi Domini nostri, quatenus in loco pœnitentiæ et remissionem peccatorum meorum injungatis mihi, ut secundum voluntatem Dei sim in pœnis purgatorii usque in diem judicii, ut tunc per misericordiam Redemptoris nostri, qui semper misericordiam exaltat super judicium, salvus fiam." Placuit hoc consilium universis,

A.D. 1198. salva sibi semper clementia divina, quæ omnes servari desiderat et neminem vult perire. Tunc episcopus, audientibus cunctis, cum ingenti mœrore recognovit, qualiter, expulsis monachis Conventrensibus, ad cumulum omnium malorum in loco eorum irreligiosos clericos introduxit; ad cujus flagitii satisfactionem aliud genus correctionis non invenit, nisi ut in eorum habitu vitam finiret, in quos diabolico spiritu<sup>1</sup> exagitatus, dum potuit, persecutionem excitavit, mendicare coegit, quantum in se erat odio mortali afflixit; sicque cum magno ejulatu abbatem Becci, qui inter cæteros aderat, deprecans adjuravit, quatenus intuitu caritatis, ad diaboli confusionem, habitum sibi concederet monachilem, ut illos haberet patronos in seculo futuro, quos persecutus fuerat in hoc mundo. Quod cum impletum fuisset, omnia quæ possidebat in auro et argento, in gemmis et vasis pretiosis, domibus religiosis et pauperibus erogavit, et sic in spe bona omnium assistentium et jugi lachrymarum effusione fine insperato quievit.

*De revocatione conventus ecclesiæ Conventrensensis et  
expulsione clericorum.*

Morabatur ea tempestate in curia Romana monachus quidam Conventrensis cœnobii, Thomas nomine, qui ab episcopo præfato cum cæteris fratribus expulsus, ut superius relatum est, monachos circumquaque dispersos simul cum cœnobio auctoritate summi pontificis in statum pristinum studuit reformare; quidam autem fratrum ejus ibidem obierant, quidam tædio et paupertate affecti a curia recesserant, ipso solo in negotio perseverante, ac, paupertate nimia compellente,<sup>2</sup> panem suum multotiens mendicante; sed, cum nuper de morte episcopi Conventrensensis nuntios desideratos accepisset,

<sup>1</sup> Wanting in C.

| <sup>2</sup> Compulsus in D.

exaltatum est cor ejus in Domino, qui dat in se sperantibus et perseveranter agentibus bonitatem. Quadam vero die, cum Innocentius papa nuper creatus cum cardinalibus suis in consistorio sederet, monachus memoratus audacter prorupit in medium et petitionem sui negotii indicatricem papæ porrexit; quam cum ille perlegisset, incontinenti monacho respondit, "Frater, nonne ista petitio a prædecessoribus nostris Clemente et Cælestino sæpius repulsa est, me audiente et vidente; et tu, qui illos non potuisti, me quasi delirum vis circumvenire?" et iratus adjunxit, "Recede frater, recede, certe inaniter hic exspectas." Monachus autem hæc audiens cum lachrymis amarissimis respondens ait, "Pater sancte, petitio mea justa est et omnino honesta, et ideo inaniter non exspecto. Exspecto enim mortem vestram, sicut feci mortem antecessorum vestrorum; succedit enim vobis, qui petitionem meam exaudiet cum effectu." Papa vero hæc audiens et supra quam dici potest admirans adidentibus sibi cardinalibus dixit, "Nonne audistis, quid diabolus iste dixit? Exspecto, inquit, mortem vestram, sicut feci mortem antecessorum vestrorum." Et conversus ad monachum ait, "Frater, per sanctum Petrum mortem meam non hic exspectabis, exaudita est enim petitio tua." Et continuo, antequam cibum sumeret papa, Huberto, Cantuariensi archiepiscopo, dedit in mandatis, ut continuo, visis literis, ad ecclesiam Conventrensem personaliter accederet, et, expulsis clericis, monachos investiret. Sicque archiepiscopus memoratus, amotis clericis præfatis, summi pontificis auctoritate roboratus decimo quinto kalendas Februarii monachos introduxit; et, quoniam prior illius loci, monachis exsulantibus, defunctus fuerat, præfecit eis priorem nomine Joibertum, natione Normannum, qui propter eminentiam prudentiæ secularis tres prioratus, de Davintre et de Weneloc et de Conventreia, suscepserat ad regendum, qui continuo cum consilio monachorum

A.D. 1198. chorum de electione episcopi tractare incipiens, communi deliberatione Gaufridum de Muschamp elegerunt. Eodem tempore, mortuo priore de Bermundesheia, Hubertus, Cantuariensis archiepiscopus, ut Joiberti supradicti avaritiæ satisfaceret, tribus prioratibus suis hunc quartum adjecit.

*De consecratione quorundam episcoporum.*

Per idem tempus, Dominica qua cantatur "Lætare " Hierusalem," Eustachius, Saresbiriensis decanus, Eliensis episcopatus munus consecrationis suscepit per manum Huberti, Cantuariensis archiepiscopi, apud Westmonasterium in capella sanctæ Katherinæ. Deinde Gaufridus, Conventrensis electus, ab eodem archiepiscopo Cantuariæ consecratus est undecimo kalendas Julii; quo etiam tempore, idus Maii, pluit sanguis undatim super ædificantes turrim apud Andeliacum in Normannia, mortem fortasse regis Richardi denuntians in brevi futuram.

His denique diebus Gaufridus, Eboracensis archiepiscopus, regi Richardo et fratri suo in Normannia pacificatus est; erat enim commotus in eum propter dejectionem Willelmi, cancellarii sui, dum idem rex ab imperatore in vinculis teneretur.

*Hubertus, Cantuariensis archiepiscopus, ab officio justiciarii amotus est.*

Circa dies istos surrexit dissensio et iniquitas inter archiepiscopum Cantuariensem et monachos sanctæ Trinitatis Cantuariæ propter ecclesiam, quam idem archiepiscopus apud Lamheiam de novo construxerat; timuerunt enim monachi, ne sedem illuc cathedralem transferret; unde Romam profecti Innocentio papæ conquesti sunt, quod archiepiscopus contra ordinem dignitatis suæ gerebat se justiciarum Angliæ et judi-

cem sanguinis, ita quod, omissis ecclesiasticis negotiis, A.D. 1198. secularibus plus æquo intendebat;<sup>1</sup> imposuerunt in-super ei, quod ex illius mandato violata fuerat ecclesia sanctæ Mariæ de Arcis Londoniensis, et Willelmus cum Barba ab illa extractus, et equorum caudis alligatus, et per plateas civitatis distractus, tandem patibulo est suspensus; sicque monachi, multo ibidem ære effuso, famam archiepiscopi non mediocriter denigrabant. His papa auditis, regi Anglorum dedit in mandatis, quatenus statim, visis literis, sub pœna interdicti præfatum archiepiscopum ab officio justiciarii removeret, præcipue cum non liceat episcopis negotiis secularibus implicari. Amoto igitur archiepiscopo, rex Richardus loco ipsius Gaufridum filium-Petri subrogavit.

*De prælio campestri inter Anglos et Wallenses, in quo multi corruerunt.*

Eodem tempore, rege Richardo in partibus transmarinis moram faciente, Gaufridus filius-Petri, Angliæ protojusticiarius, magno exercitu congregato, profectus est in Walliam ad succurrendum hominibus Willelmi de Brause, quos Wenunwen, rex Walliæ, obsederat in castello Matildis; quo cum pervenisset, campestre prælium commisit. Wallenses vero Anglis resistere non valentes in fugam compulsi sunt, et projicientes arma sua, ut melius fugerent, Angligenis audaciam præbuerunt: occisi autem referuntur ex eis plusquam tria millia septingenti armatorum, exceptis retentis et lethaliter vulneratis; ex Anglis vero unus solummodo, ex ictu<sup>2</sup> sagittæ inopinato incaute a quodam socio suo directæ vulneratus interiit.

<sup>1</sup> Intendebant in C.

| <sup>2</sup> Icti in C.

*Rex Richardus, facto congressu cum rege Francorum, cepit milites viginti.*

A.D. 1198. Per idem tempus rex Francorum Philippus et Anglorum rex Richardus congressi sunt inter Games et Vernonem; in quo congressu rex Francorum et sui per fugam sibi consulentes rapido equorum cursu Vernonem pro refugio petierunt, sed, antequam castellum ingredi potuissent, rex Richardus illos in ore gladii insecutus cepit ex eis viginti milites et servientes plusquam sexaginta.

Eodem tempore Richardus, Londoniensis episcopus, debitum humanæ naturæ persolvit quarto idus<sup>1</sup> Septembris.

*De admiranda regis Richardi victoria.*

Circa hos denique dies magnificus rex Anglorum Richardus, omnibus viribus congregatis, cepit per insultum tria castella regis Francorum, Sirefontanum videlicet, Burtiz et castrum de Curceles,<sup>2</sup> laudabili fultus virtute Anglorum. Rex autem Francorum Philippus cum militibus quadringentis et servientibus multis et omnibus communibus<sup>3</sup> suis de Nantua<sup>4</sup> exiens profectus est ad succurrendum castro de Curceles,<sup>5</sup> quod nondum credidit esse captum; quod cum audisset per exploratores suos rex Richardus, venit ex adverso ei obviam et inter Curceles<sup>6</sup> et Gisortium campestre cum illo prælium commisit. In hoc autem congressu rex Francorum, pondus præli ferre non valens, coactus cum suis ad Gisortii castellum aufugit; et, cum fugiendo pontem de Gisorz<sup>7</sup> ascendissent, contractus est pons ille præ multitudine intrantium cum impetu,<sup>7</sup> et ipse rex cum equo et armis cecidit in flumen de

<sup>1</sup> Wanting in C.

<sup>2</sup> Turcels in D.

<sup>3</sup> Communis in D.

<sup>4</sup> Mantua in D.

<sup>5</sup> Curseles in D.

<sup>6</sup> Carteles in D.

<sup>7</sup> Pontem inserted in C.

Eethe, cum aliis innumeris de regno Francorum, ubi A.D. 1198. rex ille in cœno jacens volutatus a mortis discrimine vix ereptus est; sed interea acies quædam de Francigenis electissima, ut dominus eorum liberius per fugam sibi consuleret et regis eum insequentis manus evaderet, reversi de fronte contra regem Richardum impetum in eum fecerunt acerrimum, sese pro domini sui ereptione mortis periculo exponentes. Tunc bellum utrobique accenditur, enses fulminant circa capita galeata, ictibus ingeminatis ignes extorquent, lancearum rigor hostes hinc inde prostravit, fabulis vacare non est locus, nec furor cessavit, donec rex Anglorum,<sup>1</sup> aciem præfatam in se conversam sub captione conclusit. In hoc quoque conflictu rex Richardus tres electos milites, Matthæum scilicet de Monte-Moretino, Alanum de Rusci et Fulconem de Gilernallis, ab equis ad terram prostravit, prostratos retinuit; et cum eis nobiliores de regno Francorum barones, quorum hic nomina prænotantur, Gallis<sup>2</sup> de Porta, Girardus de Chori, Philippus de Nantuil, Petrus de Eschans, Robertus de sancto Dionysio, Theobaldus de Walangardun, Cedunal de Trie, Rogerus de Meetlent,<sup>3</sup> Aim Triers, Reginaldus de Ascii, Baldewinus de Leisni, Thomas de Asgent, Ferrius de Parisiis, Petrus de Latonia, Guido de Nevers, Furmentinus Campanensis, Theodoricus de Anccis, Anfricus de Baalim, Eborardus<sup>4</sup> de Munteini, Odo de Muntciun, Fungardus<sup>5</sup> de Rupe, Walterus Rufus, Ernulfus de Leini, Willelmus de Banceto, Jokenus de Brai,<sup>6</sup> Petrus de Pinci, Denebertus de Augi, Puncardus de Castello, Willelmus de Merlon, Johannes de Grangiis, Theobaldus de Breun, Rogerus de Beaumont, Gilbertus de Broai,<sup>7</sup> Petrus de Maidul, Johannes de Cerni, Alardus de Loviers, Radulphus

<sup>1</sup> Accepsus inserted in C.

<sup>2</sup> Galis in C.

<sup>3</sup> Meedent in C.

<sup>4</sup> Eborarardus in C.

<sup>5</sup> Fungardus in C.

<sup>6</sup> Draï in C.

<sup>7</sup> Borai in C.

A.D. 1198. Valencel, Ferri de Brunai, Thomas de Castele, Willelmus de Rochmunt, Theobaldus<sup>1</sup> de Misci; et præter jam dictos cepit rex memoratus milites centum, equosque ferro coopertos numero ducentos; servientes, equites et pedites et balistarios tot ibidem sub captione conclusit, quod numerus eorum crevit in immensum. Hiis ita gestis, victoriosissimus rex Anglorum Richardus direxit epistolas ad omnes amicos suos de regno Angliæ, archiepiscopos videlicet, episcopos, abbates, comites et barones, implorans attentius et devote, quatenus una cum ipso Deum glorificarent, qui talem sibi concessit ab hostibus reportare triumphum.

*De treugis inter Francorum et Anglorum reges  
statutis.*

Videns igitur rex Francorum Philippus vires regis Anglorum indies excrescere, propriasque paulatim deficere, necessitate compulsus nuntios latenter ad summum pontificem destinavit proponens per procuratores suos, se velle libenter cum rege Anglorum componere, vel per treugas belli discrimen ad tempus differre, ut per inducias ipsius auctoritate firmatas cruce sancta signati utriusque regni vota suæ peregrinationis Deo persolvere et terram promissionis ab hostibus Crucifixi liberare, ipsius cooperante gratia, potuissent; et, ut hoc securitate et stabili firmitate fieret, postulavit rex, ut aliquem cardinalem transmitteret cum potestate plenaria ad partes<sup>2</sup> occidentis, qui posset, si necessitas cogeret, per sententiam vel<sup>3</sup> interdictum in alterutrum eorum animadvertere, quem ad concordiam et pacem inveniret rebellem. His et aliis multis in hunc modum propositis, Innocentius papa, qui negotium crucis promovere plurimum affectabat, plus pretio quam

<sup>1</sup> Theobaldus in C.

<sup>2</sup> Portas in C.

<sup>3</sup> Per inserted in C.



precibus inductus misit Petrum<sup>1</sup> de Capua cardinalem, A.D. 1198. ut pacem inter reges memoratos reformaret; qui, cum pervenisset ad regem Francorum, ipsius consilio assumpsit secum quosdam episcopos utriusque regni, veniensque ad regem Anglorum exposuit ei quanta sinistra in regnis utrorumque regum acciderant, quantaque ventura erant nisi inter eos pax maturius firmaretur. Rex autem Richardus respondit cum indignatione, dicens se de jure non teneri pro ipso papa quicquam facere, maxime cum ab eo multotiens requisitus, ut per censuram ecclesiasticam regem Francorum compelleret ad reddendum sibi terras suas et castella, quæ idem rex injuste occupaverat, spreto juramento, dum ipse in terra promissionis inimicos crucis depellere et loca sancta ad statum debitum studuerat revocare [Papa id facere neglexerat]; quapropter in hæreditate sua adquirenda, pro ipsius papæ defectu, compulsus est maximam pecuniæ summam effundere; unde rex præfatus non solum perjurium, verum et sententiam excommunicationis, incurrit; nec etiam sibi constat, si rex Francorum in treugis voluerit consentire. Tunc cardinalis, rege Anglorum seorsum advocato, recognovit eidem sub sigillo secreti, quod ad instantiam ipsius regis missus fuerat a papa ut componeret inter eos; deditque regi consilium, ut hac vice petitioni domini papæ adquiesceret, sciturus pro certo, quod dominus papa ipsum tam de rege Francorum quam de omnibus aliis suis agendis exaudiret. His ita gestis, rex Richardus, qui promotionem Othonis nepotis sui nuper in regem Alemannorum coronati supra modum affectaverat, ut faciliorem haberet a papa ad imperialem consecrationem accessum, omnium victus precibus adquievit; regesque in unum convenientes treugas tali pactione juraverunt quinquennes, quod homines utrorumque regum et mercatores per

---

<sup>1</sup> Petrum wanting in C.

A.D. 1198. terras alterutras et nundinas pacifice ire et redire, emere simul et vendere, potuissent. Quo facto, rex Anglorum abbatem Certesheiensem et Reimundum, monachum sancti Albani, qui eodem tempore pro variis negotiis ecclesiæ suæ ad regem transmissus fuerat in Normanniam, Romam misit, ut ibidem negotia prælocuta perderent ad effectum, et ad hæc negotia perficienda cepit rex de unaquaque carucata terræ suæ hida totius Angliæ quinque solidos de auxilio.

*Ut Hubertus, Cantuariensis archiepiscopus, ecclesiam de Lamheia complanaverit.*

A.D. 1199. Anno gratiæ MDCXCIX. Hubertus, Cantuariensis archiepiscopus, ecclesiam de Lamheia, quam Baldewinus prædecessor suus in honorem beati Thomæ martyris fundaverat et ipse fere consummaverat, procurantibus monachis Cantuariensibus summoque pontifice imperante, propriis sumptibus ad sui et multorum ignominiam complanavit.

*De morte regis Richardi.*

Eodem tempore, statutis, ut dictum est, treugis inter regem Francorum Philippum et<sup>1</sup> regem Anglorum Richardum, idem rex Anglorum in quosdam barones Pictaviæ sibi rebelles vexilla direxit et arma; in civitates autem eorum et oppida ignem accumulavit, vineas et pomeria succidit, nonnullos etiam ex adversariis suis immisericorditer trucidavit. Tandem in Aquitanicum perveniens ducatum, et in territorio Lemovico Chaluz castellum obsidione vallavit, ubi septimo kalendas Aprilis a Petro Basilii telo, ut dicebatur, venenato percussus est, quam percussione quasi pro nihilo reputabat. Denique diebus duodecim, qui-

---

<sup>1</sup> The four preceding words wanting in C.

bus supervixit, castellum acriter invasit et cepit, militesque et servientes sub arctiori custodia mancipavit; impositis autem in castello ministris suis, illud sufficienter munivit. Vulnus autem, quod ibidem receperat, male interim custoditum tumescere incipiens, et nigredo quædam tumori permixta locum vulneris circumquaque inficiens, regem intolerabiliter torquebat.<sup>1</sup> Tandem rex sapientissimus, cum periculum sibi cerneret imminere, exitum suum cordis contritione, oris pura confessione, corporis et sanguinis Domini communione munivit; et necis suæ auctori, Petro scilicet, qui eum percusserat, mortem suam condonavit atque liberatum a vinculis abire præcepit. Corpus vero suum apud Fontem-Ebraudi secus pedes patris sui, cujus proditorem se confitetur, sepeliri jubens ecclesiæ Rothomagensi inexpugnabile cor suum legavit; sicque apud castrum præfatum viscera sua in ecclesia recondi præcipiens, hæc pro munere Pictavensibus concessit. Quare, igitur, de corpore suo talem fieri distributionem decreverit, quibusdam familiaribus suis sub sigillo secreti revelavit; patri enim corpus suum ratione prædicta assignavit; Rothomagensibus, propter incomparabilem fidelitatem quam in eis expertus fuerat, cor suum pro exenio transmisit; Pictavensibus quoque, propter notam proditiōnis, stercora sua reliquit, quos non alia sui corporis portione dignos judicavit; et his dictis, tumore ad cor ejus subito perveniente, octavo idus Aprilis, die Martis, vir Martio operi deditus apud castrum prædictum spiritum exhalavit, postquam regnaverat annis novem et dimidio.<sup>2</sup> Sepultus est autem apud Fontem-Ebraudi, sicut ipse adhuc vivens ordinaverat, cum quo etiam multorum judicio Hesperiae decus et honor militiæ pariter sepulta sunt;<sup>3</sup> de cujus

A.D. 1199.

---

<sup>1</sup> Torquebant in D.

<sup>2</sup> The six preceding words wanting in C.

<sup>3</sup> Sepulta est in D. and C.

A.D. 1199. morte simul et sepultura quidam epitaphium edidit in  
— hunc modum,

“ Pictavis exta ducis . sepelit tellusque Chalucis,  
“ Corpis dat claudi . sub marmore Fontis-Ebraudi,  
“ Neustria tuque tegis . cor inexpugnabile regis ;  
“ Sic loca per trina . se sparsit tanta ruina,  
“ Nec fuit hoc funus . cui sufficeret locus unus.”

*Explicit de rege Richardo.*

*Incipit de rege Johanne et rebus aliis, quæ ipsius diebus gesta sunt.*<sup>1</sup>

Victoriosissimo Anglorum rege Richardo viam uni- A.D. 1199.  
versæ carnis, ut dictum est, ingresso, Johannes frater ejus, et comes Moretonii, servientes fratris sui universos militesque stipendiarios cum honore retinuit, multa eis donativa promittens; et protinus Hubertum, Cantuariensem archiepiscopum, et Willelmum Marescallum in Angliam direxit ad pacem suam ibidem denuntiandam et custodiendam una cum Gaufrido filio-Petri tunc justiciario et aliis optimatibus regni. Quo cum pervenissent, fecerunt homines jurare fidelitatem comiti Johanni, atque una cum Gaufrido filio-Petri apud Northamptonam convenientes convocaverunt proceres universos, de quibus magis dubitabant, et fecerunt illis fidem quod comes Johannes jura sua redderet universis; sub tali igitur conventionem comites et barones comiti memorato fidelitatem contra omnes homines juraverunt. Willelmo vero, regi Scotorum, per Eustachium de Vesci denuntiaverunt, quod in reditu suo in Angliam eidem satisfaceret de jure suo in Anglia, si ei interim fidem servaret et pacem; et sic ab omnibus in regno Angliæ lis et contentio conquievit.

*Quod quidam magnatum comiti Johanni, et quidam Arthuro adhæserunt.*

Comes vero Johannes, dum hæc in Anglia agerentur, perrexit ad Chinonem, ubi thesaurus erat regis defuncti, quem Robertus de Turnham in custodia habens reddidit ei cum castellis de Chinone et de Sau-

<sup>1</sup> In C. the following heading is affixed :—Capitulum 92. De his quæ gesta tempore quo Johannes

frater Regis, Ricardi regnavit in Anglia.

A.D. 1199. mur et aliis castellis sub ipsius custodia deputatis; Thomas vero de Furneis, nepos ipsius Roberti, tradidit Arthuro, comiti Britanniae, civitatem Andegavis et castellum, et eidem Arthuro adhæsit. Principes Angevaviæ, Cenomanniæ et Turoniæ Arthuro sicut ligio domino adhæserunt, dicentes iudicium esse et consuetudinem illarum regionum, ut Arthurus, filius fratris senioris, in patrimonio sibi debito et hæreditate avunculo succedat, quem videlicet Gaufridus, pater ejusdem Arthuri esset habiturus si regem Richardum supervivisset Constantia præterea, mater Arthuri, ad regem Francorum Turonem<sup>1</sup> veniens tradidit ei Arthurum memoratum; quem rex continuo misit Parisius sub custodia deputatum, et accepit in manu sua civitates omnes et castella quæ Arthuri erant. Sed Johannes comes et mater ejus regina Alienor, exercitu copioso stipati, Cenomanniam venientes civitatem et castellum ceperunt, domos in ea lapideas subverterunt, eo quod Arthuro adhæserant, et cives captivos educentes sub carcerali eos custodia incluserunt.

*Ut comes Johannes ducatum Normanniæ susceperit.*

His ita gestis, comes Johannes fuit in die Paschæ in Andegavia apud Bamfort, et in crastino misit Alienoram reginam cum Marchadeo ad Andegavensium civitatem; quo hostiliter accedentes devastaverunt eam et cives captos turpiter abduxerunt. Et interim comes Johannes Rothomagum veniens in octavis Paschæ gladio ducatus Normanniæ accinctus est in matrice ecclesia per ministerium Walteri, Rothomagensis archiepiscopi, ubi archiepiscopus memoratus ante majus altare in capite ejus posuit circulum aureum habentem in summitate per gyrum rosulas aureas artificialiter fabrefactas; et ipse dux coram clero et populo juravit super reliquias sanctorum et super

<sup>1</sup> Turonis in D.

evangelia sacrosancta, quod ipse sanctam ecclesiam et A.D. 1199. ejus dignitates bona fide et sine malo ingenio defenderet et ordinatos honoraret; juravit etiam quod leges iniquas, si quæ essent, destrueret<sup>1</sup> et bonas surrogaret.

Eodem tempore Willelmus, genere Normannus et ecclesiæ sancti Pauli Londoniarum canonicus, apud Westmonasterium per manum Huberti, Cantuariensis archiepiscopi, in capella sanctæ Catherinæ episcopus Londoniensis consecratus est decimo kalendas Junii.

*De coronatione regis Johannis.*

Per idem tempus dux Normanniæ Johannes transfretavit in Angliam et apud Schorham<sup>2</sup> applicuit octavo kalendas Junii, et in crastino, in vigilia videlicet Dominicæ ascensionis, Londonias venit ibidem coronandus. Congregatis itaque in adventu ejus archiepiscopis, episcopis, comitibus et baronibus atque aliis omnibus, qui ejus coronationi interesse debuerant, Hubertus, Cantuariensis archiepiscopus, coronam capiti ejus imponens, unxit eum in regem apud Westmonasterium in ecclesia principis apostolorum Dominicæ ascensionis die, sexto kalendas Junii; Philippo, Dunelmensi episcopo, appellante, sed non obtinente, ne coronatio illa fieret in absentia Gaufridi, archiepiscopi Eboracensis. In hac coronatione rex Johannes triplici involutus est sacramento, quod videlicet sanctam ecclesiam et ejus ordinatos diligeret, et eam ab incursione malignantium indemnem conservaret; et quod, perversis legibus destructis, bonas substitueret et rectam justitiam in regno Angliæ exerceret. Deinde adjuratus est ab eodem archiepiscopo ex parte Dei<sup>3</sup> et districte prohibitus, ne honorem hunc accipere præsumeret, nisi in mente

<sup>1</sup> Deloret in C.

<sup>2</sup> Sorham in C.

<sup>3</sup> Wanting in C.

A.D. 1199. habeat opere, quod juraverat, adimplere; ad hoc ille respondens promisit, se per auxilium Dei, bona fide, ea quæ juraverat servaturum. In crastino autem, homagiis et fidelitatibus acceptis, beatum Albanum protomartyrem Angliæ orationis gratia devotus petivit; et sic, brevissimam in Anglia moram faciens, ea quæ statuenda erant in regno cum consilio magnatum rite peregit.

*Ut rex Johannes in Normanniam transiens multos nobiles sibi reconciliaverit.*

Instante vero deinceps festo beati Johannis Baptistæ, qua ejus nativitas celebratur, in Normanniam transfretavit; et, cum venisset Rothomagum, confluebat ad eum multitudo equestris exercitus et pedestris, quos in servitio suo omnes lætus retinuit. Deinde habitum est colloquium inter regem Francorum et ipsum, in quo statutæ sunt treugæ usque in crastinum assumptionis beatæ Mariæ, ut media tempore de pace tractarent. Venit interea ad regem Johannem comes Flandrensis apud Rothomagum, et alii multi nobiles de regno Francorum, et pepigerunt fœdus amicitiae cum eo, sicut fecerant cum rege Richardo contra regem Francorum; factaque securitate ad invicem, unusquisque in propria sese recepit.

*Quod reges ad colloquium venientes discordes recesserunt.*

Eodem tempore rex Francorum Arthurum, comitem Britanniae, cingulo militari donavit in crastino assumptionis beatæ Mariæ; et idem Arthurus incontinenti fecit homagium regi Francorum de Andegavia, Pictavia, Turonica, Cenomannia, Britannia et Normannia, et rex promisit Arthuro fidele auxilium suum ad hæc omnia



perquirenda. Deinde reges sæpe dicti<sup>1</sup> die sequenti A.D. 1199.  
 convenerunt ad colloquium inter Butanant castellum et  
 Wailim, ubi, segregatis omnibus utriusque regni magna-  
 tibus, collocuti sunt ore ad os quasi unius horæ spatio,  
 nemine præter ipsos duos eorum colloquium audiente.  
 In quo colloquio petiit rex Francorum ad opus suum  
 totum Vegesinum, id est, quicquid continetur inter  
 forestam de Liuns et Sequanam, ex una parte, et  
 riveras de Andeli et de Eethe ex altera; dicens quod  
 Gaufridus Plantagenest, comes Andegaviæ, avus ejus,  
 dederat illud Lodowico Grosso pro auxilio suo habendo  
 contra regem Stephanum in Normanniam acquirendo.  
 Postulavit præterea ad opus Arthuri Pictaviam, Ande-  
 gaviam, Cenomanniam, Turonicam et Normanniam, et  
 alia multa, quæ rex Johannes concedere noluit nec  
 debuit; et sic, soluto<sup>2</sup> colloquio, discordes ab invicem  
 recesserunt. Requisitus igitur a suis rex Francorum,  
 quare se adeo iratum exhibuit adversus regem Johan-  
 nem, qui nunquam illi malum fecerat, respondit, quod  
 sine licentia ejus occupaverat Normanniam et cæteras  
 terras supradictas, cum inprimis, mortuo rege Richardo,  
 debuerat ad eum venisse et de jure suo illi homagium  
 obtulisse.<sup>3</sup> Recedente in hunc modum Francorum rege,  
 Willelmus de Rupibus, vir nobilis, Arthurum callide  
 de custodia regis Francorum eripiens, pacificavit eum  
 cum rege Anglorum, tradens eidem regi Cenomanniæ  
 civitatem, quam rex Francorum prædicto Willelmo in  
 custodia tradiderat cum Arthuro; sed die eadem dictum  
 fuit Arthuro, quod rex Anglorum ipsum caperet et  
 perpetuo carceri manciparet, unde idem Arthurus denuo  
 ad Francorum regem latenter recessit.

<sup>1</sup> Die sequenti wanting in D.

<sup>2</sup> Wanting in C.

<sup>3</sup> The six preceding words want-  
 ing in C.

*Ut rex Otho Romam veniens imperium ibidem  
obtinuerit.*

A.D. 1199. Circa dies istos, cassata electione Philippi, ducis Suaviae, et alioem omnium, Otho, rex Alemannorum, ab Innocentio papa et Romanis omnibus electus est et ad Romanum imperium admissus. Confirmata<sup>1</sup> igitur a domino papa electione, Philippus, dux Suaviae, excommunicatus est et omnes fautores ejus, nisi ab Othonis persecutione desistant; in capitolio autem et per urbem totam declamatum est, 'Vivat et valeat imperator Otho.' Tunc ab omnibus confirmatus, ad memoriam revocans, quod per regem Richardum ad tantum fuerat promotus honorem, regi Johanni significavit, ut ipse differret cum rege Francorum amicaliter componere, quia, Deo volente, ipse in brevi succursum sibi talem providebit, qualem imperialem decet celsitudinem providere.

*Regnum Francorum interdicitur.*

Per idem tempus Petrus de Capua, cardinalis et apostolicæ sedis legatus, regnum Francorum sub interdicto conclusit propter captionem fratris Petri de Duay, Cambracensis electi; sed, antequam sententia relaxeretur, rex Francorum præfatum electum ab omni custodia liberavit. Eodem quoque tempore idem legatus ad regem Anglorum veniens sub pœna interdicti rogavit, ut episcopum Beluacensem, qui jam per biennium sub crudelissima carceris custodia detentus fuerat, liberam concederet licentiam abeundi; sed, quoniam idem episcopus contra ordinis sui dignitatem captus fuerat in armis ut miles vel ruptarius, non prius est abire permissus, donec, sex millibus argenti marcis ad pondus sterlingorum numeratis et fisco commendatis, regis

---

<sup>1</sup> Eo firmato in C.

concupiscentiæ satisfecit; quo facto, juravit episcopus <sup>A.D. 1199.</sup> memoratus, quod nunquam in vita sua contra Christianos arma gestaret.

*Ut vetus causa decisa fuit inter ecclesias Turonensem et Dolensem.*

Hoc anno decisa est causa vetustissima inter ecclesias Turonensem et Dolensem, Romæ, a papa Innocentio per sententiam diffinitivam; archiepiscopo Turonensi ab episcopo Dolensi subjectionem exigente, et episcopo Dolensi<sup>1</sup> contradicente. Est autem Dolensis ecclesia minoris Britanniae metropolis, cujus pontifices temporibus sancti Martini et ante et multo post tempore, sicut alii omnes minoris Britanniae præsules, Turonensis ecclesiae suffraganei fuerunt, sed, qualiter postmodum ab illius ecclesiae subiectione desciverint, hæc causa est.

Tempore quo gens Anglorum in majorem venit Britanniam, ut eam subjugaret, et rex Britonum Uterpendragon apud Verolanium infirmitate gravissima detentus lecto decumberet, ita ut nec sibi nec regno suo contra barbarorum rabiem subvenire potuisset, fertur Anglorum superstitio in tantum prævaluisse, quod, vastata fere a mari usque ad mare insula, ecclesiae sacræ ad solum usque complanarentur; pontifices vero et ecclesiarum prælati, cernentes patriæ desolationem simul et ecclesiae sanctæ subversionem, recesserunt ad loca tutiora, decernentes communiter sanius esse barbarorum rabiem ad tempus declinare, quam inter fidei Christianæ rebelles sine fructu residere. Inter quos sanctus Sampson, Eboracensis archiepiscopus, eximie vir sanctitatis, ad suos concives in minorem aufugiens Britanniam, qui ex eodem genere erant et gente, pallium quod a Romano susceperat

<sup>1</sup> Ab episcopo inserted in C.

A.D. 1199. pontifice, secum portavit; quo cum pervenisset et a suis concivibus honorifice receptus<sup>1</sup> fuisset, ad Dolensis ecclesie præsulatum, quæ nuper a suo fuerat pastore viduata, communi omnium deliberatione episcopus electus est, et, rege concedente, licet multum renitens inthronisatus; in illa autem ecclesia, quoad vixit, pallio, quod ab Eboracensi monasterio detulerat, usus est, et successorum ejus multi post illum. Deinde vero reges illius provincie, cum in regno proprio archiepiscopum habuerunt, non permiserunt episcopos suos, qui antea semper suffraganei fuerant ecclesie Turonensis, præfato archiepiscopo Turonensi debitam impendere obedientiam; statuentes, ut de cætero minoris Britannie præsules alium metropolitanum quam Dolensem archiepiscopum non haberent. Postmodum autem, elapsis trecentis vel eo amplius annis, papa Nicolaus, ad instantiam Turonensis archiepiscopi hunc volens revocare errorem, Salamoni, Britonum regi, scripsit epistolam, quæ in decretis Gratiani continetur, causæ iii. quæstione 6, sub hac forma;

*Epistola Nicolai papæ de eadem re.*

“ Hæc quippe est dicti patris tui ordinatio, et hæc  
 “ est lex ecclesie matris tuæ, videlicet, ut omnes  
 “ episcopos regni tui ad Turonensem archiepiscopum  
 “ mittere non detractes, ipsiusque judicium postulare  
 “ non dedigneris; ipse enim est metropolitanus, om-  
 “ nesque episcopi regni tui ejus suffraganei sunt, sicut  
 “ conscriptiones prædecessorum meorum evidenter os-  
 “ tendunt, qui prædecessores tuos, quia ab ejus jure  
 “ se subtraxerunt, forti invectione corripere studuerunt,  
 “ quamvis nec nostra scripta super hac re missa deesse  
 “ videantur.” Et infra; “ Quia vero magna, quis sit  
 “ metropolitanus, apud Britannos contentio est, licet

---

<sup>1</sup> Conceptus in C.

“ nullius teneat memoria vos in vestra regione ullam A.D. 1199.  
 “ habuisse metropolim ecclesiam, tamen sibi libet,  
 “ postquam Deus omnipotens pacem inter te et dilec-  
 “ tum filium nostrum Carolum regem gloriosum con-  
 “ stituerit,<sup>1</sup> facile hoc poteritis<sup>2</sup> advertere; quod si  
 “ adeo contentiosius agere creditis, ad nostrum apos-  
 “ tolatum destinare contendite, quatenus nostro libra-  
 “ mine, quæ sit apud vos antiquitus archiepiscopalis  
 “ ecclesia, luce clarius innotescat, et deinceps, omni  
 “ ambiguitate recisa, quam sequi episcopi vestri de-  
 “ beant incunctanter agnoscant.” Tali itaque regi  
 præfato facta admonitione, non ideo destitit ab in-  
 ceptis, sed semper deinceps tam ipse quam ejus suc-  
 cessores perstiterunt rebelles, atque inter episcopos  
 Turonenses et Dolensem lis continua et contentio  
 perduravit, donec anno præsentis, ut prædictum est, a  
 papa præfato<sup>3</sup> sententialiter diffinitum est, ut tam Do-  
 lensis quam cæteri Britanniae episcopi archiepiscopo  
 Turonensi subiaceant et in perpetuum præceptis ejus  
 canonicis acquiescant: unde papa memoratus in pro-  
 nuntiatione sententiæ diffinitivæ, ut qui in scientia  
 erat magnus, audax simul et jurisperitus, ita exorsus  
 ait, “Doleat Dolensis et gaudeat Turonensis.”

*Ut Alienor regina missa fuerit pro Blanca puella  
 Lodowico maritanda.*

Anno gratiæ MXX. rex Francorum Philippus et rex A.D. 1200.  
 Anglorum Johannes, post festum sancti Hilarii inter  
 Wailim et Butanant castella ad colloquium convene-  
 runt, ubi convenit inter eosdem reges cum consilio  
 principum utriusque regni, quod videlicet Lodowicus,  
 filius regis Francorum et hæres, duceret uxorem filiam  
 Aldefonsi, regis Castellæ, et neptem regis Johannis,

<sup>1</sup> Constituit in D.

<sup>2</sup> Poteris in C.

<sup>3</sup> Wanting in C.

A.D. 1200. et rex Anglorum pro hoc matrimonio contrahendo daret Lodowico cum nepte sua, nomina Blanca, in maritaggio civitatem Ebroicarum cum toto comitatu et insuper triginta millia marcas argenti. Petiit præterea rex Francorum ab Anglorum rege, ut faceret sibi securitatem, quod nullum Othoni nepoti suo faceret auxilium de hominibus neque de pecunia, ad imperium obtinendum; dictum est enim, quod dux Suaviæ Philippus, per conniventiam regis Francorum et auxilium præfatum, Othonem persecutione gravissima infestabat, nec propter excommunicationis sententiam, qua fuerat a papa innodatus, ab ejus impugnatione cessabat. Denique inter reges, fœdere ut præmissum est, confirmato, terminum ad sequens festum sancti Johannis Baptistæ statuerunt, ut tunc ea, quæ sunt prælocuta, irrefragabiliter sortiantur effectum; sicque soluto colloquio, rex Johannes, sperans se per hoc matrimonium diutina pace gaudere, misit matrem suam Alienor reginam propter puellam memoratam, ut salvo conductu cum ipsa ad terminum præfixum rediret. Rex Anglorum interim transfretavit in Angliam, et cepit de unaquaque carucata terræ totius Angliæ tres solidos de auxilio, expletisque aliis negotiis in Normanniam iterum transfretavit.

*Ut Lodowicus filiam Aldefonsi, regis Castellæ,  
ducerit.*

His ita gestis, rediit Alienor regina cum puella præfata Lodowico maritanda et eam Anglorum regi præsentavit. Deinde reges convenerunt ad colloquium inter Guletune et Butanant castella undecimo calendas Julii, ubi rex Francorum reddidit regi Anglorum civitatem Ebroicarum et totum comitatum atque terras universas, quæ per guerram occupaverat in Normannia et in aliis terris regis Anglorum, et rex Johannes incontinenti inde fecit homagium regi Francorum, et

sic dedit universa illa Lodowico cum nepte sua in A.D. 1200. maritaggio et homagium inde a Lodowico suscepit. Quo facto, puella in crastino desponsata est Lodowico apud Purmor in Normannia ab archiepiscopo Burdegalensi: erat enim tunc regnum Francorum interdictum propter Botildam reginam, quam rex Francorum dimiserat; atque protinus post desponsationem Lodowicus duxit Parisius sponsam suam in lætitia et exultatione tam cleri quam populi utriusque regni.

*Ut rex Johannes Isabel reginam desponsaverit.*

Eodem tempore, celebrato divortio inter regem Anglorum et uxorem suam Hawisam, comitis Gloverniæ filiam, eo quod affines erant in tertio gradu consanguinitatis, duxit idem rex, consilio regis Francorum, Isabel, filiam comitis Engolismi, quam prius susceperat in suam Hugo, cognomento Brunus, comes Marchiæ; quæ copula postmodum regi et regno Angliæ magno detrimento fuit. Nec multo post, convenientibus ad colloquium apud Vernonem regibus, Arthurus ibidem fecit homagium regi Anglorum de Britannia et aliis terris suis, sed timens proditionem regis Johannis remansit in custodia regis Francorum.

*Mandatum Domini, quod de cælo venit in Hierusalem de observatione diei Dominicæ.*

Circa dies istos epistola de cælo veniens in Hierusalem appensa est super altare sancti Symeonis in Golgotha,<sup>1</sup> ubi crucifixus est Christus pro redemptione mundi, quam per tres dies et totidem noctes homines ex alto dependentem aspicientes corruerunt in terram, rogantes Dei misericordiam, ut ipse eis dignaretur suam ostendere voluntatem; diè vero tertia, post

---

<sup>1</sup> Golgotha in D.

A.D. 1200. horam diei tertiam, erexit se ab oratione patriarcha et archiepiscopus Zacharias,<sup>2</sup> et expandentes infulam super sanctum altare sanctam Dei epistolam acceperunt, quam cum inspexissent, istud invenerunt superscriptum; "Ego Dominus, qui præcepi vobis, ut observaretis sanctum diem Dominicum, in quo requievi ab operibus meis, ut esset requies cunctis mortalibus in æternum, et non custodistis eum, et de peccatis vestris non pœnituistis. Sicut dixi per evangelium meum, 'Cælum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.' Feci prædicare vobis pœnitentiam vitæ, et non credidistis; misi super vos paganos et gentes, qui effuderunt sanguinem vestrum in terra, nec tamen credidistis; et, quia sanctum diem Dominicum non custodistis, per paucos dies habuistis famem, sed cito dedi vobis saturitatem, et postea pejus fecistis. Volo ergo, ut nemo ab hora nona sabbati usque ad solem surgentem diei Lunæ aliquid operetur, nisi quod sit bonum, et, si quis fecerit, cum pœnitentia emendet; et, si huic mandato meo non obedieritis, Amen dico vobis, et juro vobis per sedem meam et thronum meum et cherubin, qui custodiunt sanctam sedem meam, quia non mandabo vobis aliquid per aliam epistolam, sed aperiam cælos, et pro pluvia pluam super vos lapides et ligna et aquam calidam per noctes, ut nemo præcavere possit, quoniam destruam omnes homines malos. Hoc dico vobis, Morte moriemini propter diem Dominicum sanctum et alias festivitates sanctorum meorum, quas non custodistis. Mittam vobis bestias habentes capita leonum, capillos mulierum et caudas camelorum, et ita famelicæ erunt, quod carnes vestras devorabunt, et vos desiderabitis fugere ad sepulchra mortuorum et abscondere vos propter metum bestiarum; et tollam lumen solis ab oculis vestris et mittam super vos tenebras,

---

<sup>2</sup> Akarias in D. and C.



" ut occidatis vos invicem non videntes ; et auferam A.D. 1200.  
 " a vobis faciem meam et non faciam vobiscum miscri-  
 " cordiam ; incendam enim corpora vestra et corda  
 " illorum, qui non custodiunt diem sanctum Dominicum.  
 " Audite vocem meam, ne pereatis in terra propter  
 " diem sanctum Dominicum ; recedite a malo et pœni-  
 " tentiam agite de malis vestris, quod si non feceritis,  
 " quasi Sodoma et Gomorrha peribitis. Nunc scitote,  
 " quod salvi estis per orationes sanctissimæ genitricis  
 " meæ Mariæ et sanctorum angelorum meorum, qui  
 " orant pro vobis quotidie. Dedi vobis frumentum et  
 " vinum abundanter, et inde non obedistis mihi, nam  
 " viduæ et orphani clamant ad vos quotidie, quibus  
 " nullam facitis misericordiam ; pagani habent miseri-  
 " cordiam, vos autem non habetis. Arbores, quæ  
 " fructificant, siccari faciam pro peccatis vestris ; flu-  
 " mina et fontes non dabunt aquam. Dedi vobis  
 " legem in monte Sinai, quam non custodistis ; dedi  
 " post per me legem, quam non observavistis ; pravi  
 " homines diem Dominicum resurrectionis meæ non  
 " custodistis ; tollitis res alterius et de hoc nullam  
 " considerationem habetis ; propter hoc mittam super  
 " vos bestias pejores, quæ devorabunt mamillas mulie-  
 " rum vestrarum. Maledicam illis, qui injuste agunt  
 " versus fratres suos ; maledicam illis, qui pauperes et  
 " orphanos male judicant. Me autem dereliquistis, et  
 " principem hujus seculi sequimini. Audite vocem  
 " meam, et habebitis misericordiam bonam ; vos autem  
 " non cessatis ab operibus malis, nec ab operibus  
 " diaboli, quia facitis adulteria et perjuriam, et ideo  
 " circumdabunt vos gentes et devorabunt ut bestię."

*De prædicatione Eustachii, abbatis de Flai, super  
 mandato memorato.*

Cum autem patriarcha et clerus omnis Terræ Sanctæ  
 hunc epistolæ tenorem diligenter examinassent et  
 verba cum admiratione pariter et timore intellexis-

A.D. 1200. sent, communi omnium deliberatione decretum est, ut epistola ad iudicium Romani pontificis transmittetur,<sup>1</sup> quatenus, quicquid ipse agendum decreverit, placeat universis. Cumque tandem epistola ad domini papæ notitiam pervenisset, continuo prædicatores ordinavit, qui per diversas mundi partes profecti prædicaverunt ubique epistolæ tenorem, Domino cooperante et sermonem eorum confirmante sequentibus signis; inter quos abbas de Flai, nomine Eustachius, vir religiosus et literali scientia eruditus, regnum Angliæ aggressus, multis ibidem miraculis coruscavit, qui non longe a civitate Dorobernensi appulsus, in villa, quæ Wi appellatur, officium prædicationis incepit; cumque fontem quendam ibidem benedixit, Dominus ipsius meritis tantam in eo infudit gratiam, ut, ex solo illius gustu, cæci visum, claudi gressum, muti loquelam, et surdi cœlitus receperunt auditum, et quisquis debilis ex fonte cum fiducia bibens gavisus est se recepisse sanitatem. Venit itaque ad eum mulier quædam, a dæmonibus obsessa et quasi hydropico morbo inflata, petens ab eo sibi restitui sanitatem; cui ille, "Confide filia et vade ad natatoria fontis de Wi, quem<sup>2</sup> benedixit Dominus, et bibe ex eo, et recipies illico sospitatem." Abiit mulier et juxta viri Dei monita bibit, atque protinus in vomitum prorupit; ubi cunctis, qui ad fontem gratia curationis venerant, cernentibus, exierunt ex illa duo bufones magni et nigerrimi, qui, ut se dæmones ostenderent, statim transformati sunt in canes immensos et nigros, et post paululum in formam conversi sunt asininam. Mulier autem stabat attonita, et quandoque post illos cucurrit furibunda volens eos apprehendere; sed vir quidam, qui ad fontis custodiam fuerat deputatus, aquam fontis inter mulierem et monstra aspergens fugavit illa in aerem sursum, ubi evanescentes fœda post se vestigia reliquerunt.

---

<sup>1</sup> Transmittatur in D.

| <sup>2</sup> Cui in D.

*Ut prædictus abbas fontem dulcis aquæ emanare fecerit.* A.D. 1200.

In villam de Rumenel prædicando perveniens idem vir Dei, ubi erat dulcis aquæ defectus, ad preces populi in ecclesia ejusdem villæ baculo suo petram percussit, et fluxerunt latices in abundantia, quarum haustu multi a diversis languoribus curabantur. Deinde de loco ad locum, a provincia in provinciam, de civitate in civitatem transiens, multos ad usurarum relaxationem induxit, crucem sumere Dominicam admonuit, ad pietatis opera multorum corda prædicando permutavit; nundinas vero et mercato Dominicæ diei adeo interdixit, quod omnia fere, quæ diebus Dominicis per Angliam fieri consueverant, constituerentur in una hebdomadæ sequentium feriarum; sicque Dominicis diebus fidelis populus divinis solummodo vacans obsequiis omne opus servile penitus abdicavit, veruntamen tempore procedente plerique, ut canes ad vomitum, sunt reversi. Rectoribus quoque ecclesiarum et presbyteris cum populis sibi subjectis admonendo indixit, ut in ecclesia ante eucharistiam continua lux arderet, quatenus Ille, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, pro luce temporali lucem eis concederet sempiternam. Divitibus autem et magnatibus universis, et præcipue civibus et mercatoribus, prædicabat, ut semper in mensa discum Christi propter pauperes haberent, quatenus, assueta superfluitate subtracta, indigentium inopiam sublevarent. Diem vero sabbati post nonam, sicut diem Dominicum, ab omni opere servili custodiri mandavit; et deinceps diem Dominicum cum nocte sequente, qui dies dicitur naturalis, et requiem innuit per figuram nostræ perpetuæ quietis.

A.D. 1200.

*De miraculo terrifico cuidam mulieri inflicto.*

Eodem tempore mulier quædam de provincia Norfolcensi, viri Dei monita spernens, una die sabbati post nonam pannos lavare perrexit; quæ cum laborioso conatu ad inchoatum jam opus instaret, accessit ad eam vir quidam reverendæ ætatis, sibi penitus ignotus, sciscitans increpando, qua temeritate post viri Dei prohibitionem ausa sit post nonam pannos lavare et sanctum diem sabbati opere illicito violare; addidit insuper, quod, nisi celeriter ab inceptis desisteret, sciret se profecto iram Dei cum celeri ultione quam citius incursum. At illa, viro sibi sermocinanti urgentem præterdens inopiam, dixit, se hujusmodi labore vitam miseram eatenus perduxisse, et, si ab opere consueto cessaret, periculum de vitæ subsidio dubitaret. Denique, cum subito vir ille ab oculis ejus evanisset, propensius quam prius fecerat, pannos suos lavare et ad solem siccare maturavit. Sed hiis omnibus ultio divina non defuit; nam illico mamillæ mulieris sinistrae quasi porcellus colore nigerrimus subito adhærens nullo conatu ab illa potuit avelli, sed assidue sugendo sanguinem eliciens totum fere corpus miseræ mulieris in brevi consumpsit; tandem ad summam perducta inopiam tam diu panem mendicare ostiatim compulsæ est, quousque, multis intuentibus et divinam ultionem admirantibus, vitam miseram miserabiliter terminaret.

*De alio miraculo, quo in panis incisione contigit.*

Eadem tempestate, in provincia Northanhumbrorum, plebeius quidam uxori suæ præcepit, ut quodam die sabbati panem in crastino comedendum pararet; quæ viri præceptis obtemperans, cum panem illum viro suo in crastino comedendum obtulisset et ille panem incidere cœpisset, res mira contigit et seculis inaudita, siquidem sanguis recens cultellum viri panem incidentis ita secutus est, ac si de bestia nuper occisa

perfluxisset. Hic autem casus multos ab hujusmodi <sup>A.D. 1200.</sup> operibus compescuit, cum ad notitiam hominum pervenisset.

*Ut Galfridus, Eboracensis archiepiscopus, omnibus bonis spoliatus sit.*

Sub diebus istis Gaufridus, Eboracensis archiepiscopus, ex mandato regis Johannis spoliatus est ab omnibus bonis sui archiepiscopatus, Jacobus enim, vicecomes Eboracensis, et ministri ejus, maneria illius simul et clericorum virorumque religiosorum possessiones violenter aggressi bona eorum distrahere præsumperunt; unde idem archiepiscopus Jacobum præfatum nominatim excommunicavit, et in genere omnes hujus violentiæ auctores, quique regem adversus eum in iram et indignationem commoverant. Causa enim regiæ perturbationis contra eum multiplex erat; primo, quod non permisit præfatum vicecomitem colligere carucagium in sua diocesi ad opus regis, sicut ei fuerat generaliter per Angliam concessum; secundo, quod noluit transfretare cum ipso in Normanniam ad faciendum maritagium inter Lodovicum et neptem suam et componendum cum rege Francorum; tertio, quod excommunicaverat vicecomitem memoratum et totam provinciam Eboracensem ecclesiastico supposuerat<sup>1</sup> interdicto.

*Ut rex Johannes et Isabel regina Londoniis coronam portaverint.*

Per idem tempus rex Johannes, post completa negotia in partibus transmarinis, transfretavit in Angliam, sponsamque suam ducens secum applicuit apud Doveram octavo idus Octobris; venientes autem Londo-

---

<sup>1</sup> Supposuit in D.

A.D. 1200. nias apud Westmonasterium coronati sunt ambo ibidem per ministerium Huberti, Cantuariensis archiepiscopi, præsentibus magnatibus regni; ubi etiam Gaufridus, Eboracensis archiepiscopus, cum rege pacificatus est. Quo et tempore rex Johannes significavit Willelmo, regi Scotorum, ut veniret ad eum apud Lincolniam, ut ibidem sibi de jure suo satisfaceret, in crastino sancti Eadmundi.

*De vita sancti Hugonis, Lincolnienſis episcopi ante episcopatum.*

Circa dies istos Hugo, reverendæ memoriæ Lincolnienſis episcopus, de partibus veniens transmarinis, Londoniis apud Vetus Templum quartanis febribus graviter infirmatus decimo sexto kalendas Decembris laudabilis vitæ cursum glorioso fine complevit; cujus inter homines conversatio sancta, compellit quæ mortalibus et informatio morum exstitit et exemplum piæ actionis, ut de eo vel pauca huic operi inseramus. Hic vir sanctus, in remotis Burgundiæ partibus oriundus, moribus clarior quam parentela refulsit, qui, ab annis puerilibus studiis literarum addictus, decennis effectus canonicis regularibus traditur disciplinis cælestibus informandus<sup>1</sup>; inter quos tam moribus quam scientia regulariter imbutus post circulum sexdecim annorum in quadam cella officium prioris suscepit, ubi, cum cuncta sibi prospere successissent, lubricos carnis motus fortius cohibere decernens ad ordinem Carthusiensem, Domino disponente, transivit; cumque se benignum ibidem cunctis et affabilem, religiosa gravitate servata, exhiberet, modico elapso tempore totius domus effectus est procurator. Interea cum illustris Anglorum rex Henricus domum quandam Carthusiensis ordinis in Anglia construxisset, qui viri Dei

---

<sup>1</sup> Wanting in D.

promotionem ardenti desiderio sitiebat, vix precibus A.D. 1200. obtinuit, ut ad regimen illius domus animum ejus inclinaret; cumque ad prioratus officium vocatus fuisset, priorem sanctitatem indies studuit ampliare<sup>1</sup>; unde regis gratiam, qui frequenter ejus colloquio fruebatur, sanctæ conversationis merito non mediocriter obtinebat. Tenuerat autem rex ecclesiam Lincolniensem in manu sua, per multos annos pastoris solatio viduatam; quem volens excessum redimere, sicut honeste potuit, procuravit, ut per electionem vir prædictus ad illius ecclesiæ regimen vocaretur. Quo facto, cum viro Dei electio denunciata fuisset, respondit, quod pontificalis officii non susciperet dignitatem, nisi sibi prius de communi Lincolniensis ecclesiæ canonicorum consensu et de licentia Cartusiensis prioris constaret. Cumque super hiis sufficienter sibi fuerat satisfactum, decanus Lincolniensis cum majoribus ecclesiæ ad Dei virum accessit, qui inter prima colloquia sic eorum sibi gratiam conciliavit, ut eum pastorem et patrem spiritualem sinceræ devotionis optarent affectu; sed ut illi<sup>2</sup> certius eorum consensus innotesceret, ibi eum denuo elegerunt, et tunc primo consensit. Tandem vero, cum munus consecrationis suscepisset, prima noctis quiete, quæ in episcopatu membra sopori dedisset, post devotas orationes audivit vocem dicentem sibi, "Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo."<sup>3</sup>

*De virtutibus sancti viri in episcopatu.*

Consecratus autem Dei servus Hugo ecclesiam suam adeo meritorum titulis illustravit, ita populum sibi commissum verbis informavit et exemplis, quod episcopi nomen sibi recte competere declarabat, atque in ecclesia cathedrali electas collocando personas vivis ex

<sup>1</sup> Wanting in C.

<sup>2</sup> Sibi in D.

<sup>3</sup> Egressus es in salutem cum Christo tuo in C.

A.D. 1200. lapidibus Deo habitaculum construxit; potestatis autem secularis in rebus ecclesiæ sævientis impetus adeo constanter elidere consuevit, ut et rerum et corporis sui periculum contemnere videretur, in quo et adeo profecit, quod et jura amissa revocavit et ecclesiam suam a servitute gravissima liberavit. Præterea vir sanctus domos leprosorum per quas transitum faciebat, ingredi consuevit, et viros omnes leprosos, quantumcumque deformes, osculari et largas eleemosynas<sup>1</sup> conferre solebat; unde bonæ memoriæ Willelmus, ejusdem ecclesiæ cancellarius volens experiri, utrum propter hoc elatio tangeret animum viri Dei dixit ad eum "Martinus leprosum osculando sanavit; vos leprosos, " quos osculamini, non sanatis." Cui episcopus incontinenti respondit, "Osculum Martini carnem leprosi " sanavit, osculum vero leprosi animam meam sanat." In mortuis sane sepeliendis tam diligens humanitatis obsequium exhibere consueverat, ut nullum mortuum præteriret, cujus sepulturæ ministerium sibi competens videretur.

Accidit autem quodam tempore, dum vir sanctus circa gregis sui curam vigilans parochias visitaret et ad villam quandam, Alcmundeberi nominatam, perveniret, parentes cujusdam infantis, ipsum puerum pæne exanimem deferentes, auxilium pontificis lachrymabiliter postulabant. Episcopo vero requirenti quid vellent, mater pueri respondit, "Iste parvulus filius noster " partem<sup>2</sup> cujusdam laminæ ferreæ habentem in longitudine et latitudine plusquam pollicem unum manû " recepit, et more puerili ad os mittens deglutivit, " quæ gutturi ejus firmiter adhærens puerum mori " compellit; misit itaque te Dominus, pater sancte, " ut filium nostrum nobis restituas in ultimo vitæ vix " articulo palpitantem." Quem respiciens episcopus, guttur ejus tangens, benedixit, insufflavit et crucis

---

<sup>1</sup> Wanting in C.

| <sup>2</sup> Wanting in D.



charactere signavit ac dimisit; cumque parentes pueri ab episcopo recepissent, ferrum continuo sanguinolentum exsilivit et sanatus est puer ex illa hora. A.D. 1200.

Alio quoque tempore, dum vir sanctus per villam, quæ Cestrehunte appellatur, transitum faceret, supplicaverunt eum parentes cujusdam furiosi, qui per tres hebdomadas sine vinculis detineri non potuit, ut eum visitare et ei benedicere dignaretur; quo audito, vir sanctus ex equo desiliens ad furiosum accessit. Erat autem caput ejus ligatum ad postem, manus vero ejus et pedes hinc inde ad paxillos. Episcopus, aqua benedicta a se facta, infirmum linguam emittentem et quasi ipsum deridentem aspersit, et evangelium "In principio erat verbum" super furiosum legit, benedictionem dedit et recessit. Quo recedente, cœpit ægrotus dormire, et evigilans illico restitutus est pristinae sanitati.

Circa illud tempus pius pontifex in die Parasceues, cum esset Lincolnæ et ad fabricam matricis ecclesiæ, quam nobiliter a fundamentis exstruxerat, lapides et cæmentum humeris suis in quodam cophino, sicut pluries consueverat, ferret, claudus quidam ex utraque parte, duobus innixus baculis, totis visceribus desiderare cœpit eundem cophinum deferre, sperans quod per merita beati viri sanitatem esset recepturus: tandem a magistro operis dari sibi cophinum impetravit, in quo lapides et cæmentum cum suis baculis ferre cœpit. Elapsis vero paucis diebus, unum dimisit baculum, ac deinde reliquum, et post modicum temporis sanus et erectus, nullo suffultus baculi adminiculo, eundem cophinum ad opus ecclesiæ deportabat; quem cophinum cum esset sanus adeo dilexit, ut a se separari nullatenus sustineret.

Alio quoque tempore accidit in eadem civitate, quod civis quidam in tantam incidit amentiam, quod octo viri fuerunt apud ipsius custodiam deputati, qui in vinculis detentus tanto agitabatur furore, quod uxorem

A.D. 1200. et liberos proprios minabatur dentibus laniare; tandem  
 — in biga ligatus et ad virum Dei adductus est; quem cum inspexisset episcopus, statim aqua benedicta illum aspersit, et spiritum malignum adjuravit, ut ab eo exiret ipsumque ulterius non vexaret. Æger vero incontinenti, morienti similis, corruit in terram, super quem vir sanctus aquam benedictam in magna quantitate effudit; statimque furiosus surrexit, et manus ligatas ad cœlum erigens Deo et beato pontifici gratias egit, et illico vinculis solutis sanus recessit.

